A. H. A. EKKER,

DE CHORO AESCHYLEO.

DISSERTATIO

DE CHORO AESCHYLEO.

DISSERTATIO

DE CHORO AESCHYLEO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERIJ

MATH. MAG. PHIL. NAT. MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

ALBERTUS HENRICUS ARNOLDUS EKKER,

VOLLENHOVIA-TRANSISALANUS.

A. D. XX M. MARTII, A. MDCCCXLIX, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCXLIX.

VIRIS DOCTISSIMIS

EVERARDO EKKER,

MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE IN URBE
VOLLENHOVIA DOCTORI,

PATRI CARISSIMO,

ET

ARNOLDO EKKER,

GYMNASII RHENO-TRAJECTINI CONRECTORI,

PATRUO DILECTISSIMO,

SACRUM.

PRAEFATIO.

Disputationem, qua summos in Litteris honores capiam, edituro, dulce mihi est recordari benivolentiam eorum, quos ad juvenilium studiorum cursum feliciter dirigendum optimos duces habui.

In quibus Vos principes estis, Viri Carissimi! quibus hanc scriptionem dedicavi; quippe qui me Vobis tanto amore devinxeritis, quantum verbis praedicare nequeo. Cujus utinam nunquam immemorem me praestem! Quumque me ad beatam vitam optimis praesidiis muniveritis, utinam ipse bene vivendi studio eam, quam debeo, gratiam semper Vobis possim referre!

Gratum animum Vobis etiam testificor, V.V. D.D. C.C., quorum sive privata, sive publica institutione frui mihi contigit! Vestram in primis humanitatem praedico, praeceptores Clarissimi, VAN GOUDOEVER *et* KARSTEN! *quos optimos studiorum meorum auctores fautoresque habui. Si quid in Litteris profeci, id Vobis acceptum me debere ex animo profiteor: Vestrae erga me benivolentiae nunquam obliturus, pre-*

—

cor Deum O. M. ut diu Vobis servet vitam viresque integras in discipulorum et liberalium doctrinarum utilitatem! Quod idem SCHRÖDERO *et* WENCKEBACHIO *equidem apprecari non possum, sed merita et virtutem illorum recordabor dum vivam.*

Vos etiam, Rector ceterique Gymnasii Rheno-Trajectini Praeceptores! bene de me promeriti estis, tum egregiâ, qua me ad humanitatem formastis ratione, tum benignitate quam in me, quum civium academicorum numero adscriptus eram, semper contulistis. Me gratum semper Vobis discipulum fore existimate!

Restat pium idemque dulce officium compellandi Te, Vir Amplissime A. BECKERS, *insulae Sancti Martini quondam Senator! Nam quotiescunque suave illud tempus recordor, quod in alma sede Trajectina transegi, sponte mecum Tuam liberalitatem recolo, qua me domum Tuam recepisti, qua mihi pariter atque filio Tuo, quocum arctissimo amicitiae vinculo junctus sum, Musarum otia quam jucundissima facere studuisti. Sit Tuum otium, post longa negotia, et longum et suave!*

Sodales, quotquot jam in diversis locis vivitis, per huncce libellum salvere Vos jubeo: Vos velim memoriam pristinae amicitiae gaudiique nostri pie servetis: — Vos omnes et me et Athenas nostras tutelae communis nostrae Deae commendo, nam

Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς ὄντας ἅζεται πατήρ.

———

Quum tempus me admoneret, ut dissertatione conscribenda Academicis studiis finem imponerem, aptum mihi argumentum invenisse videbar, si in antiquae tragoediae Choro, qualis optimo tempore fuisset, explicando periculum facerem. Non quasi nova me invenire et res tot tantorumque virorum acumine exploratas illustrare posse putarem; sed satis ducebam, si studiorum specimen ederem, quo conscribendo et juveniles vires corroborarem, et viam ad interiorem antiquitatis cognitionem aliquatenus mihi aperirem. Ad quod assequendum magnopere se mihi commendabat tale argumentum, quippe quod modo in suavissimis Musarum hortis versetur, modo per asperiora legentem ducat.

Itaque collectis undique praesidiis, excerptis

etiam quae quisque scriptorum, quos adire potui, optime de Choro animadvertisse mihi videretur, rus abii, sperans fore ut commentationem de Sophocleis fabulis, in quarum assidua lectione nuper fueram occupatus, brevi litteris mandarem. Quae tamen spes multum me fefellit. Nam quum de universa tragoediae ratione quaererem, et historiam Chori summatim persequi instituerem, offendi in Aeschylum, cujus fabulas antehac strictim tantum, neque omnes me legisse dolebam; neque alia, fateor, mihi res erat cum Euripide. Et tamen quid magis necessarium erat quam, in describendis Chori Sophoclei partibus, naturam atque indolem nosse fabularum, quas Aeschylus et Euripides docuerunt. Quomodo, in Sophoclis de tragoedia meritis aestimandis, suo quaeque momento ponderarem, nisi instituta aequalium poëtarum comparatione? Quid ergo? — A Sophocle discessi et ad lectionem Aeschyli me contuli. Eam autem rem ita aggressus sum, ut finita cujusque fabulae lectione, argumentum ordine enarrarem et singularum personarum, praecipue vero Chori partes describerem. Quibus in studiis totam fere hiemem consumsi; quod nemini mirum sit, qui reputet

quibus difficultatibus recens Aeschyli tractatio lectorem premat; praesertim quum ad fabularum *οἰκονομίαν* et Chori rationem perspiciendam nulla fere adjumenta haberem: nam libri, quos antea consului (feci autem maxime ad Sophoclem respiciens) et disputationes de Choro, quales sunt Ilgeni, Kabathii, Wellaueri, Witzschelii, Schreiteri, Klanderi al. vix aut ne vix quidem Aeschylum tangunt.

Quidquid est, eo tandem processeram ut Aeschyli septem fabulas jam absolvissem; in quibus enarrandis, quamquam summa brevitate eram versatus, haud paucas tamen paginas exaraveram. Quocirca, si eadem via caetera tractare pergerem — restabat autem pars operis longe major — disputatio mea et multum temporis posceret, et tandem aliquando absoluta Academicae disputationis terminos multum excederet. Neutrum mihi commodum arbitratus caussam ad Promotorem retuli, qui, scriptione lecta, satis me facturum mihi significavit, si unius Aeschyli fabulas retractarem et quae de harum compositione, Chori praesertim ratione habita, elucubratus essem, paullo limatius et explicatius exponerem.

Itaque feci. Nunc autem vereor ne quis, auditis libelli fatis inceptisque meis, clamet:

amphora coepit
institui; currente rota cur urceus exit?

Verum qualiscunque est hic libellus et quodcunque ejus ad tragoediam illustrandam momentum: mihi certe ejus conscribendi laborem magnopere profuisse fateor ad Aeschyleae artis monumenta cognoscenda atque aestimanda; ideoque me operae in Patrem tragicorum impensae non poenitere, si quidem ad Graecae tragoediae intellectum rectumque de ea judicium, si unquam id potero mihi informare, hic labor mihi viam muniverit. Huic igitur consilio, quo scriptionem aggressus sum, quae jejunius scripsi condonentur: quae quum non aliam ob caussam nisi legis gratia e scriniis protulerim, ut propitius et benignus accipias per nomen quo te compello, lector humanissime, oro et flagito!

DE CHORO IN TRAGOEDIIS THESPIDIS ET PHRYNICHI.

De tragoediae ante Aeschylum initiis pauca nobis innotuerunt. Ipsae enim Thespidis et Phrynichi fabulae perierunt; quae autem de his deque universa arte tragica litteris fortasse mandaverant antiqui, eorum dispersa tantum fragmenta supersunt. Unde factum est, ut quaestio de Thespidis in tragoedia meritis etiamnunc explanata non sit; nam constat quidem ex iis, quae Plutarchus (1), Diogenes Laërtius (2) et Themistius (3) tradiderunt, histrionem ab ipso inductum et Choro sermonem

---

(1) Plut. Sol. 29. ὁ Σόλων — ἐθεάσατο τὸν Θέσπιν αὐτὸν ὑποκρινόμενον ὥσπερ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς.

(2) Diog. Laërt. III, 56. ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν.

(3) Themist. Or. 26, p. 316, D. Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν.

additum esse; sed qualis ille ὑποκριτής, qualis item ῥῆσις, quam Thespis invenit, fuerit, et utrum histrio idem qui Chori dux, an a Chorego diversus fuerit — hac de re diversae feruntur virorum doctorum sententiae (1).

Chorus igitur, sive diverbiis, sive histrionis aliquo sermone interposito, perpetuus esse desiit; ita tamen ut lyricas partes, licet fortasse multum imminutas, epicis longe ampliores fuisse veri simile sit. Hoc loco dolemus jacturam libri, quem de Choro scripsisse Sophocles dicitur (2), qui si exstaret meam, imo omnium fortasse recentiorum, operam supervacaneam redderet; sed ejus nihil praeter memoriam servavit Suidas: „ὁ Σοφοκλῆς ἔγραψε ...... περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος." — Haec ipsa tamen Suidae verba „πρὸς Θέσπιν κ. τ. λ. etiamsi ad certamen aliunde non cognitum respiciant, arguere videntur, Thespidis et Choerili fabulas nequaquam ad Sophocleam normam fuisse compositas. Atque quum hic, judice Aristotele (3), Chori partes optime or-

(1) Conff. God. Hermann. Opuscc. VII, 218. et praef. Cycl. p. VI; et C. Fr. Hermann. de distr. pers. inter histr. p. 15.

(2) Suidas voc. Σοφοκλῆς. Eudoc. p. 384. — Περὶ χορῶν etiam Aristocles opus scripsisse dicitur Athenaeo. 4, 174, C. 14.

(3) Poët. C. 18. καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς.

dinaverit, non immerito inde efficias in illorum tragoediis Chori munera inconcinnius fuisse descripta.

De Phrynicho plura traduntur.

Dicitur aeque atque Aeschylus aptiorem tragoediae tribuisse materiem, ita ut a fabulis de Dionyso recedens, graviora heroicae aetatis argumenta tractare institueret (1). Idque apparet etiam ex plerisque dramatum nominibus, quae apud Suidam leguntur, ex gr. Pleuroniae, Alcestis, Danaides, Andromache, Tantalus.

Deinde Phrynichus mulierum personas primus in scenam induxisse et tetrametri auctor fuisse perhibetur (2). — Harum partes modo a Choro, modo ab histrione actas esse significant iidem dramatum tituli, veluti: Pleuroniae, Andromeda, Alcestis. Quum vero propter argumenti naturam probabile sit, in quibusdam fabulis, actorem sexu a Choro diversum prodiisse, merito ii, qui Thespidis histrionem unum de Choro fuisse, neque diverbia, sed monologum aliquem instituisse cum Hermanno (3) existimant, ex hac inventione Phrynichum etiam dialogi auctorem habent.

At nisi invenisse, certe multis partibus expolivisse dialogum credendus est: cui etiam postea,

---

(1) Plut. Symp. I, 1, p. 615 A: ὥσπερ οὖν Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων ἐλέχθη· τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον;

(2) Suidas, voc. Φρύνιχος, γυναικεῖον πρόσωπον εἰσήγαγεν ἐν τῇ σκηνῇ, καὶ εὑρετὴς τοῦ τετραμέτρου ἐγένετο.

(3) God. Hermann. loco supra l.

adscito fortasse altero Aeschyli histrione, majorem actionem amplioremque locum in fabulae compositione assignavit.

Vel sic tamen lyricas partes epicis insigniores fuisse, ipsumque poëtam in his magis quam in diverbiis elaborasse apud antiquos legimus. In lyricis excelluit. *Φρύνιχος ἐπὶ μελοποιΐας ἐθαυμάζετο* (1). Ejus carminum suavitas admodum celebrabatur: *ἦν δὲ οὗτος ἡδὺς ἐν τοῖς μέλεσι Φρύνιχος* (2). Aristophanes lyricorum ejus carminum dulcedinem magnis laudibus effert, velut in Avibus:

ὥςπερ ἡ μέλιττα
Φρύνιχος ἀμβροσίων
μελέων ἀπεβόσκετο καρπὸν, ἀεὶ
φέρων γλυκεῖαν ᾠδήν (3).

Aeschylus vero Phrynichi canticis adeo delectabatur, ut haec sibi ad imitandum proposita fuisse ipse testetur apud Comicum:

ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ καλοῦ
ἤνεγκον αὔθ', ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων (4).

(1) Schol. Aristoph. Av. vs. 747. Conf. idem ad Vesp. vs. 219.

(2) Schol. Ar. Ran. vs. 1298.

(3) vs. 747 sqq.

(4) Ran. vs. 1298, sqq.; quae ad Phoenissarum imitationem spectant. Glaucus autem, in hypothesi Persarum Aeschyli, hanc fabulam affirmat ad similitudinem Phoenissarum Phrynichi esse compositam „*ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι*" neque improbabile est, quin aliae Phrynichi fabulae v. c. Mileti Exci-

Aristoteles autem de fabularum ejus compositione hanc quaestionem ponit: *διὰ τί οἱ περὶ Φρύνιχον ἦσαν μᾶλλον μελοποιοί*; — eamque conjiciendo ita explicat: *ἢ διὰ τὸ πολλαπλάσια εἶναι τότε τὰ μέλη ἐν ταῖς τραγῳδίαις τῶν μέτρων* (1); quibus facile quisque assentietur. Nam mobiles illae actuosaeque histrionum partes, quales sunt in Sophoclis tragoediis et in Orestia Aeschyli, illa aetate nondum erant. Alterius certe histrionis usus XXV circiter annis ante ultimam, de qua constat, Phrynichi victoriam (2) invaluerat; atqui ne ipsum quidem Aeschylum, per XXVIII annorum spatium, multum ex invento suo profecisse, conjicere licet e simplice admodum et sedata Persarum dispositione, quae tamen fabula pars fuit didascaliae, qua primas tulisse legitur anno a. Chr. 427. — Quippe mere lyrica erat tragoediae indoles; et sermones quidem aeque ac cantica expolire, non vero haec cum illis exaequare studuit Phrynichus. Saltationes solemnes elegantius adornavit, et novas adjecit, artificiosos suavesque modos invenit; sed actionis emendandae laudem neque assectatus videtur, neque aequales ei tribuerunt. Hoc recentioribus, in primis Aeschylo, contigit.

---

dium et Danaides eodem fere modo, quo antiquissimae Aeschyli fuerint ordinatae.

(1) Problem. XIX, 31.

(2) Phoenissas, quibus vicit, docuit anno a. Chr. 476. Conf. Plutarch. Themist. 5.

DE TRAGOEDIIS AESCHYLI.

Aeschylus tragicam artem ad eum perfectionis gradum excoluit, ut non immerito Pater tragoediae ab antiquis appellatus sit (1). Inventorum ejus summam tangit Aristoteles in Poëticis: „duos" inquit, „histriones primus Aeschylus instituit, Chori partes imminuit, dialogo primas dedit (2)." Novam tamen hanc dramatis dispositionem, anno a. Chr. 500 inchoatam, quominus gradatim in omnibus deinceps fabulis persequamur, obstat plurimarum Aeschyli tragoediarum jactura. Nam ex

(1) Conf. Philostr. Vita Apoll. 6, 11, p. 245. Quinctil. Instit. orat. X, 1, 66.

(2) Cap. 4: Καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν. Conf. Philostr. l. l.: — τὴν τέχνην δὲ ὁρῶν ἀκατάσκευόν τε καὶ μήπω κεκοσμημένην ἢ μὲν ξυνέστειλε τοὺς χοροὺς, ἀποτάδην ὄντας, ἢ τὰς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιλέξεις εὗρε, παραιτησάμενος τὸ τῶν μονῳδιῶν μῆκος....

primorum XXVIII annorum spatio, quo tragicam musam coluit, nulla illius tragoedia nobis servata est; quae autem aetatem tulerunt, Persae, Supplices, Septem contra Thebas, Prometheus vinctus, Orestia, ad artis jam perfectioris aetatem pertinent et inter annum 472 et 458 a. Chr. conscriptae videntur. Unde patet certo dici vix posse, qua ratione scribere instituerit Aeschylus, et quos pedetentim in arte tragica fecerit progressus; eoque minus quod antiqui scriptores eam rem aut silentio praeterierunt, aut strictim tantum de ea locuti sunt. Nam quae de Aeschylo animadverterunt, ad externam magis tragoediae formam pertinent quam ad interiorem dramatum ejus rationem; plerique varia illius inventa promiscue recensent, nulla fere temporis vel modi ratione habita, quo inventis suis poëta usus sit.

Utut est, e longa fabularum serie, quas conscripsisse fertur, apparet Aeschylum in artem tragicam strenue incubuisse; quae laus antiquorum etiam testimoniis affirmatur (1). Videtur autem in ea aequalium poëtarum rationem, in primis Phrynichi, esse secutus, a quo cum mulierum personas, aliaque fortasse id genus, traxerit, tum etiam lyricorum compositionem ex eo hausisse traditur (2). Quamquam quae Phrynicho debuerit et quatenus inde profecerit, singulatim in-

(1) Conf. Paus. 1, 21, 2.
(2) Conff. versus Arist. supr. all.

dicare, in tanta utriusque operum labe, minime possumus. Verum tamen si Persarum fabulam ad exemplum Phoenissarum Phrynichi compositam esse novimus, idem in antiquioribus fabulis eum fecisse veri simile est. Itaque principio antiquum morem servasse et fabulas lyricorum ubertate dialogum superantes docuisse credendus est; simul tamen aliunde optima quaeque recepisse, eaque pedetentim mutasse, emendasse, amplificasse, donec ad eam compositionis formam processerit, quae in Persis conspicitur. Nam artis illa Aeschyleae progressio in iis quoque, quae superstites sunt, fabulis, singulas deinceps ponderanti sponte apparebit; maximeque de antiquissimis, Persas puta et Supplices, haec Biographi verba valent: *αἵ τε διαθέσεις τῶν δραμάτων οὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις* (1).

A Persarum igitur fabula incipiens, nostra Aeschyleae tragoediae notitia pertinet ad ultimam Orestiae trilogiam, spatium XIV annorum complexa. Quod tempus profecto satis longum foret, ut de poëtae laudibus recte subtiliterque judicaretur, si vel omnes hujus periodi fabulas haberemus integras, vel earum saltem, quae restant, tempus accurate constaret. His ergo incommodis posthabitis, de singulis tragoediae partibus, quomodo apud Aeschylum constitutae sint videamus.

---

(1) Ap. Robort.

Et primum quidem Aeschylus, quum probe sentiret, quantum ex apto argumenti delectu penderet, quippe quod jure Aristoteles *principium et quasi vitam tragoediae* vocat (1), ad epicos poëtas se contulit et ex illorum carminibus gravissima quaeque argumenta petiit. Recensuit cyclum fabularum Trojanarum, et stirpium regiarum, quae bello Trojano, vel postea, eluxerant, fata spectatoribus in scena exhibuit; adiit mythos Bacchicos et Thebanos; tetigit etiam singulares quorundam heroum daemonumque fabulas; — universe tamen Homerum, *fontem* illum *ingeniorum*, non rerum solum quas tractavit, sed rationis etiam qua conscripsit auctorem habuit. Et quales sunt mythi illi, quaenam potissimum argumenta, quae ex epicis hausit Aeschylus? Ea nimirum quae natura sua convenirent consilio, quo omnium primus Aeschylus tragoediam tractare instituit et quo effecit ut φιλοσοφώτερον ποίησις ἱστορίας dici potuerit (2). Quippe hominum facta, vitam, res adversas et prosperas describit (3), ut appareat quam arcta sit mutua rerum humanarum conjunctio, et quomodo ab hominum factis eorum sors pendeat sive tristis, sive laeta. Docet

---

(1) Poët. C. 6. Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας.

(2) Arist. Poët. C. 9.

(3) De nostro in primis valet quod idem cap. 6 scribit: Ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων, ἀλλὰ πράξεων, καὶ βίου, καὶ εὐδαιμονίας, καὶ κακοδαιμονίας.

poëta, liberam quidem agendi potestatem hominibus datam esse, sed ita, ut nemini certos justitiae fines egredi liceat. Deos enim, quum hominibus prospiciant, sempiternâ aequitatis lege suum cuique tribuere, par pari referre, probis favere, improbos punire gravitatemque poenae atrocitate sceleris metiri. Hanc autem puniendi, retribuendi remunerandique rationem tam religiose ab iis servari, ut in eos nonnunquam animadvertant, quorum facta ex honesto consilio profecta videantur. Accidere enim posse, ut quis proba sequens in mala tamen incidat, si propter inscitiam vel temeritatem ea susceperit, quae summi numinis legibus repugnent. Quicunque tamen talis peccati poenas luat, licet earum rationem non statim perspiciens Deorum iniquitatem accuset, eum tandem aliquando se deliquisse professurum, divinamque agniturum sapientiam, quae, quamvis homines saepe lateat, certa tamen et constanti ratione mundum regere pergat. Ut paucis comprehendam, Aeschylus necessitudines quae homini cum Diis intercedant ordinemque et seriem caussarum, in hominum vita divinitus sancita explicare studuit.

In *Persis* superbia et temeritas Xerxis divinorum oraculorum adventum maturat; eundem in *Supplicibus* retardat Danaidum pietas. — Erinnys quae in improbos filios irruit, ut patris exsecrationes ratae fiant, exhibetur in *Septem contra Thebas.* — *Prometheus vinctus* superbiae et contumaciae poenas luit. — Vindicta divina, ne honestis

quidem et beatis parcens, si quando nimia ambitione incitati audax facinus perpetraverint, proponitur in *Agamemnone*. In *Choëphoris* laesa justitia in integrum restituitur, et matricidio deorum jussu suscepto filius ignominiam patris ulciscitur. *Eumenides* denique ostendunt divinae religionis vim, ad animi terrores et angores ex imbecillitate humanae naturae profectos ratione et sapientia sedandos, mentemque furiis agitatam in pacem et tranquillitatem restituendam.

Mythos ergo πάθους plenos (1), et facinora terrorem ac misericordiam excitantia fabularum sibi materiem sumsit: in quibus tractandis epicam normam et simplicitatem secutus est. Ample enim et fuse rem explicat, lento gradu actionem propositam ad exitum deducit, et trium fere fabularum serie, argumenti perpetuitate junctarum, quemque mythum absolvit. Quae componendi ratio pro magna parte e moribus, quos agentibus personis tribuit, nata est. Nam personae quae apud Aeschylum agunt heroum Homericorum similes sunt. Spectatores, audito fabulae argumento, statim eas sibi tales animo informassent, quales in theatrum prodeuntes conspiciuntur. Sunt quasi formae certae et constantes, quae paucis lineamentis adumbrari possunt. Tales sunt earum

---

(1) Vita Aesch. ap. Robort. πρῶτος Αἰσχύλος πάθεσι γεννικωτάτοις τὴν τραγῳδίαν ἐπηύξησεν....

mores (τὰ ἤθη), tanta studiorum vehementia, ut non possint non certa ratione agere et recta via ad propositum finem tendere, eoque in fabulae ambitum finesque definiendos magnum habere momentum. Itaque suapte natura tragoedias *simplices* et ethicas reddunt: — jam a prologo inde quid futurum sit providetur, eventus necessarius exspectatur, actio non percellit novitate, sed placide et sensim praeparatur atque leni *παραβάσεως* ope coram spectantium oculis absolvitur. Neque, quod fabulae *implicatae* proprium est, desiderio solutionis et exitus movemur; illud tantum exspectamus, quomodo ea, quae sciebamus instare, tandem revera exitum habuerint.

Praeterea Aeschylus actorum mores non magnopere variavit, neque, quod fecit Sophocles, controversias et dissimilitudines ex diversarum personarum consociatione ortas, describere studuit, sed potius bene moratae alicujus personae labores plane accurateque proponit, de ambitu poëmatis parum sollicitus. Quem quidem exiguum esse non posse inde quoque intelligitur, quod cito moveri sententiamque suam celeriter mutare talem personam neutiquam decet.

Cum moribus his congruebat *διάνοια*, qua actores dicta cum factis exaequabant et viriles animi sensus apte edebant, multum illa ab aucupio philosophandi abhorrens.

Praeter sententiarum illud pondus et acumen, quod Dio Chrysostomus *τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας*

vocat (1), notandus est sermo Aeschyli nobilis atque gravis, qui sublimitate et dignitate excellens (2) et crebris imaginum luminibus distinctus, egregie splendido *σύρματι* convenit, quo personas suas poëta prodire jussit. Verbis saepe utitur translatis et novis; cumulare solet epitheta; audaci compositione longiora nonnunquam et obscuriora vocabula — *γλώσσας*, — fingit; omnia denique sectatur quae ambitum orationis amplificant (3). Grandiloquentia haec in Chori maxime partibus conspicua est; in episodiis contra simplicitatem potius et *συμμετρίαν* antiquae normae sequitur. Nullo fere ornatu verborum constructio nitet; raro concisae eduntur sententiae; sermo ad prolixas epicorum narrationes accedit. Quo pertinent etiam partes Nuntiorum — *ῥήσεις ἀγγελικαί* — ab Aeschylo inventae (4), quae medium inter dialogum et carmen choricum obtinebant locum.

Hactenus eas tragoediae partes tetigimus, quae dramati necessariae sunt et a quibus tota ejus existimatio pendet (5). His recensitis Aristoteles an-

---

(1) Orat. LII, pag. 267.

(2) Hoc est Horatianum illud: docuit *magnum*que loqui etc. Ep. ad Pis. vs. 280 sqq.

(3) Biograph. Aesch.: *κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ καὶ πλάσμα, ὀνοματοποιίαις τε καὶ ἐπιθέτοις, ἔτι δὲ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι χρώμενος.*

(4) Philostr. Vita Soph. 1, 9.

(5) Aristot. C. 6. Ἡ *γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστιν.*

numerat *ὄψιν* et *μελοποιίαν*: illam quia ad docendas fabulas requiritur, quamquam nihil cum poësi commune habet; hanc quia ad argumentum fabulae non desideratur quidem, sed suavitatis tamen affert quam plurimum (1). Quod igitur ad fabulas docendi rationem attinet, haec una cum ipsarum compositione sponte mutata est. Poëta enim, quum novo prorsus ordine carmina describeret, quo magis haec spectatoribus probarentur, ea rite in scenam producere variamque rei scenicae supellectilem adhibere debuit: qui quidem apparatus eo lautius fuit Aeschylo ordinandus, quo a vulgari simplicique norma longius discederet. Hinc plurima ejus inventa, quae tantum non omnia eo spectabant, ut externus etiam tragoediae habitus splendore oculos percelleret et divinitatis quandam speciem prae se ferret:

personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
et docuit magnumque loqui nitique cothurno (2).

E variis autem, quas certatim antiqui enumerant (3), mutationibus nonnullae propterea etiam

---

(1) l. l. C. 6; ubi tamen verbis „ἡ δὲ ὄψις, ψυχαγωγικὸν μὲν, ἀτεχνότατον δὲ, καὶ ἥκιστα τῆς ποιητικῆς“ Euripidem videtur significasse, externum scenae habitum minus curantem.

(2) Horat. l. supra l.

(3) Conff. Vita Aesch. ap. Robort. — Philostr. Vita Soph. 1, 9 et Vita Apoll. VI, 11, p. 244. — Athen. I, p. 21, D

notandae sunt, quod ad fabulae compositionem rationemque aliquid momenti habuerunt. Veluti *Nuntiorum* usus, quem supra tetigi, valuit ad dialogum multis nominibus amplificandum et ad continuandam expositionem rei, partim in scena partim extra eam ad exitum pervenientis.

Neque in docendo fabulas negligendum est, quod Chamaeleon dicit, *Αἰσχύλον πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς αὑτὸν περιϊστᾶν*, ita ut non solum actoribus, suas cuique partes mandans, voce et gestu praeiret, sed motus etiam et saltationes variosque canendi modos choreutas edoceret (1).

Denique *μελοποιίαν* etiam Aeschylus egregie excoluit, quum cantuum modos ad argumentum fabulae et episodiorum rationem accommodaret, eorumque descriptionem in strophas, antistrophas, epodos, systemata, dichoria, commos, pro fabularum varietate variaret. Sed de externa choricorum forma hactenus! Jam porro de argumento carminum variisque Chori partibus nonnulla universe moneamus.

Lyricas partes, adscito secundarum actore, imminutas esse supra jam vidimus; neque minuta tantum sed prorsus mutata esse Chori officia ex ipsius natura facile intelligitur. Quippe Bacchi laudes antiquitus celebrare solitus, Chorus deinceps justam semper venerationem certamque in Dionysiis agonibus sedem obtinuit; et quamquam hi ludi

---

(1) Conf. Athenaei locus supra laud.

mature jam ita ab instituto deflexerant, ut populus quondam, quasi sacrilegium veritus, exclamasset *τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον*; reservarunt tamen Chorum tanquam socium nobilissimum, cujus gratia publice amplissimo honore dignabantur. Sed quum Chori indoles ab actione aliena esset, ejus partes quoque cum dialogo aeque erant consociandae; et quo frequentiores colloquii vices, eo rariores Chori partes fieri consentaneum erat. Hinc, justo dramate semel constituto, sedes suas saepius mutare debuit. Ejus munera Aeschylus, ut reliqua omnia, mytho inservire jussit et ad actionem fabulae adaptavit: Chorus dehinc a Dionysi laudibus revocari et tragicae arti, pro viribus, adjumenta subministrare coepit. Simul tamen apparet, in antiquissimis tragoediis, quae minorem actionem continerent parciusque histrionum subsidiis essent instructae, chorica munera ampliora et graviora fuisse; quemadmodum eadem, succrescentibu histrionum partibus, sensim paullatimque arctius circumscribi debuerunt; ita ut e lyricorum ratione de reliquarum partium aut simplicitate aut concinnitate quodammodo nobis statuere liceat.

Antiquissima Aeschyli opera artis tragicae infantiam palam faciunt: significant poëtam novam tragoediae rationem non ita expedite instituisse, ut ejus imaginem talem, qualem mente intueretur, carmine exprimeret. Actionem fabulis subjecit quidem, sed talem quae *dramatica* dici vix posset.

Argumenta quae tractat sunt *μῦθοι ἁπλοῖ*, quorum expositio neque varias histrionum partes desiderat, neque plures simul personas diversis moribus praeditas convenire jubet; ideoque actio nec crebras habet colloquii vicissitudines neque commotiores actus parit, sed mirum in modum cum melicis carminibus confusa ipsis, magna pro parte, choreutis mandari potuit. Exemplo sunt *Persae* et *Supplices*. In utraque fabula primas agit Chorus, qui et ipse precibus suis principium actionis constituit. Sed *Persarum* illa actio — quae in evocatione Darii posita est — licet rebus in priore fabula actis effecta sit et cum subsequentibus apte cohaereat, non tamen per actorum partes ad exitum venit, sed Chori maxime opera efficitur. Hic et parodo, qua iter Persarum describit et sollicitudinem suam de exitu profert, et sermonibus cum Atossa institutis, et cantu lyrico, quo dolores e cladis nuntio perceptos edit, actionem praeparat; et tertio denique carmine, quo solemni modo deos inferos precatur et regem compellat, solus fere prodeundi facultatem Dario praebere videtur.

Supplicum non melior est ratio: argumentum inde a principio melius quam in Persis perspicitur: hospitium Danaidibus parandum quasi cardo manet, circa quem omnia vertuntur; sed ipsae virgines, Chori partibus fungentes, caussam suam agunt eamque repetitis carminibus tuentur.

Ne plura addam, quae fusius infra persequi

licebit, tantum monere volui, antiquissimarum fabularum actionem maxime Chori partibus contineri, neque actionem et cantum satis accurate in iis distingui: — quae res quamquam in recentioribus etiam obtinet, ubi Chorus subinde rei gerendae se immiscet, imo primarias aliquando partes agit, tamen hoc et alio modo fit, et reliquarum partium praestantia totiusque dramatis ordine compensatur. Paullatim enim Aeschylus aptiora argumenta sumere et minutis canticis sermones variare coepit. Et quamquam identidem, si histriones rei gerendae non sufficerent, Chorum ad partes vocavit ejusque cantibus vel sermonibus longiores nonnunquam actus implevit; epica tamen a lyricis, quantum fieri potuit, separavit, neque Chorum vicarium modo histrionum fecit, sed ejus personam concinnius cum compositione fabulae contexuit; ut modo protagonistae ad latus esset, cujus ferocem animum leniret eoque spectatoribus magis conspiciendum redderet (*Prom. vinct.* et *Sept. c. Theb.*); modo labantem ejus animum erigeret, ad agendum incitaret et divinorum jussuum admoneret (*Choëph.*). — Alibi Chorus interventu suo diversas histrionum partes quasi vinculo colligit, dum carminibus suis mentes ad tristem dramatis exitum praeparat (*Agam.*); — aut protagonistae adversans fabulam identidem implicat et canticis suis ingens ad augendam actionem momentum habet (*Eumen.*). Denique morum sanctitate et religione Chorus ubivis deorum pie-

tatem et reverentiam praecipit, et strenuum se divinarum legum propugnatorem praestat, quapropter in illum quoque conveniunt quae, Sophocleam, ut videtur, normam intuens, de Choro monet Horatius in Epist. ad Pisones vers. 196 sqq.

Ille bonis faveatque et consilietur amicis;
et regat iratos et amet peccare timentes;
ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
justitiam, legesque et apertis otia portis;
ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Qualiacunque autem sunt Chori munera — quorum diversitas pro parte etiam e trilogiarum natura repetenda est — ubivis poëta tam arcte Chorum cum argumento fabulae consociavit, ut jure suo locum in scena sibi vindicare et actionis partem capessere videretur.

Ejus prodeundi ratio duplex est: aut enim paullo post exordium fabulae prodit, aut primus omnino in scena adest et reliquos histriones excipit. Plerumque ampla parodo praesentem rerum statum spectatoribus exponere solet; nisi ipsius partes et fabulae ratio ita sint comparatae, ut alteri hoc explicatoris munus subeundum sit. In *Persis* et *Supplicibus* Chorus, antiquo more, fabulae initium facit ejusque argumentum prolixo carmine exponit. In *Eumenidibus* etiam Chorus a principio quidem adest, sed Apollinis artibus

aliquamdiu consopitus et quietus jacet. Cujus fabulae compositio quum tota ad magnificentiam et splendorem sit comparata, poëta Pythiae, fatidicae virgini, prologum dedit, quae singulari quo prodiret et loqueretur modo illustrem actionis aditum faceret, simul efferendis Apollinis laudibus sequentia praepararet. Deinde hac etiam arte Orestem ad breve tempus a deo liberatum fingere et mox novam invisamque rationem, qua Furiae somno excuterentur et prorumperent, spectatoribus exhibere potuit.

In reliquis Chorus paullo post histriones in scenam procedit, et iis, quae jam acta sunt, sua animi sensa et judicia subjicit (1). In *Septem c. Th.*

---

(1) Neque alia, quamvis brevior et artificiosior, est Sophocleae parodi ratio: quum et illa praesenti rerum statui explicando inserviat, eamque canant homines, qui rei agendae jure quodam intersunt. Sed haec apud Sophoclem bene tenenda sunt: primum, Chorus non agit et *κηδευτὴς ἄπρακτος* est; tum, longiore jam fabulae parte peracta nonnunquam in scenam prodit; tandem, homines e vulgo progressi partes Chori tuentur. Modo haec perspiciamus, intelligimus qui interdum aut falsum et pravum aliquid statuat — ut in *Ajacis* parodo vs. 134 sqq. ed. Br. — aut ea proferre possit, quae cum agentium sensis minime conveniant: veluti in *Antigone* vs. 100 sqq. ed. Herm.

Euripidis contra diversa saepe ratio est: qui, quum Chori partes non iis tribuat, qui quodammodo adesse debeant, verum, uti in *Phoenissis* obtinet, aliunde haud raro personas arcessat, parodo id maxime Chorum facit eloquentem, quo jure in scenam prodeat, et quodnam ipsi cum fabulae personis cognationis vinculum intercedat.

Thebanae virgines commotissimo cantu metum suum et periculum exprimunt, quod patriae ex hostium impetu immineat. Sed belli strepitum celeremque hostium adventum depingentes simul praegressam *Nuntii* narrationem confirmant et explent. — *Agamemnonis* parodus, praeteritorum memoriam repetens, belli Trojani caussam, expeditionis graecae rationem, Calchantis vaticinia, Iphigeniae caedem aliaque satis superque auditoribus suppeditat, quin plura etiam continet, e quibus Chorus, liberum de quacunque re judicium proferens, futurae regis sorti se metuere subobscure significat. — *Choëphororum* elegantissima est parodus, qua et spectatores et Orestes ea quae scire opus est edocentur. *Prometheus vinctus* denique, quem praeteriimus, continente parodo caret ideo, quia assidua protagonistae praesentia cuivis longiori carmini oberat; tum etiam, quia Chorus totius rei ignarus, aeque ac postea Oceanus visurus adveniens, non poterat non veri spectatoris locum obtinere et miserum Prometheum de sua sorte percontari et conqueri. Quid quod res perpetrata nulla explicatione omnino indigebat, quae autem efferenda erant animi sensa et judicia unice fere a protagonista edi poterant et debebant, eoque melius quo diutius antea siluisset?

Conf. *C. A. Klander*, disput. *quo loco Sophocles Chorum ejusque cantus habuerit*, in Solemn. Natal. Christiani VIII, a. 1840. a G. G. Nitzschio ind. Kil. p. 24 sqq.

De stasimis autem, quo quaeque loco inserta sint, et de personis quae Chori vices subeunt, in ipsa singularum fabularum enarratione dicemus, ne fusius nunc disserendo materiem nobis in posterum praeripiamus, et in easdem sententias delabamur.

DE CHORI PARTIBUS IN TRAGOEDIIS AESCHYLI.

§ 1. Persae.

In Persis Chorum efficiunt SENES illi NOBILES, quibus ob insignem probitatem et fidem Xerxes, in Graeciam profecturus, regni aedisque regiae procurationem commiserat. (vs. 2, vs. 5 sqq, vs. 4). Recensent in parodo, quantae ex diversis provinciis copiae et quibus ducibus iter susceperint:

πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς
ᾤχωκεν. (vs. 12.)

Sed quum jam longum intercesserit spatium, postquam erant profecti, neque ullus adhuc nuntius redierit, de exitu sollicitantur, metuuntque damnum divinitus fortasse immissum:

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει; (vs. 93.)

quandoquidem Xerxes, nimia temeritate Hellespontum transgressus, facile deorum iram adversus se

concitare potuerit. Huic curae indulgentes luctum et desperationem totius Asiae augurantur, si fusis Persis hostes victores evaserint. „Gemitus, inquiunt, orbata Susa oppidumque Cissium cient, et feminae, scissis vestibus, ereptos sibi maritos conquerentur" (vs. 1—135).

Mox metui succedit deliberatio, quomodo de exercitus statu certiores fiant, quum Xerxis matrem Atossam prodire vident eamque blandis verbis salutant (vs. 136-154).

Veretur illa, ne infestum aliquod numen imperii saluti, a Dario stabilitae, insidias struat; quod cur metuat duplicem habet caussam, quam se ait communicare velle cum senibus, quorum consiliis unice confidit. Hi postquam se libenter in consilio reginae adhiberi velle pronuntiaverunt (vs. 169-171), Atossa enarrare incipit somnium, quod superiore nocte habuisset, signumque mane a se visum; de utroque tamen quid sentiant, senes prudenter silent, censent tantum oportere eam diis supplicare et libamina solvere, atque Darium insuper precari, ut fausta omnia sibi filioque mittat (vs. 211-221). Id se facturam promittit Atossa; prius vero quam pergit, de Athenarum urbe, de Atheniensibus eorumque belligerandi ratione et viribus Chorum interrogat (vs. 222-241). — Nondum finitum erat Chori responsum, quo reginam de omnibus certiorem redderet, quum Nuntius prodiens conspicitur. Hic tristissimum expeditionis eventum refert. Quo nuntio misere

afflicti senes cladis narrationi identidem ingemiscunt (vs. 252 sq. 256 sq. 260 sqq. 266 sqq. 272 sqq. 278 sqq.); Atossa vero dolore obmutescit.

Paullatim tamen illa se colligit, eatenus quidem, ut fuse hominem enarrare jubeat, qui duces perierint, qui necem evaserint. Quae dum refert Nuntius et Atossae quaestionibus respondet, Chorus tacitus colloquio adest; expositarum demum rerum summam conficit, querens ea, quae suspicatus esset, vera evasisse (vs. 524-589):

νῦν γὰρ πρόπασα μὲν στένει
γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα. (vs. 540.)

Quibus haud sine exprobratione haec subjiciuntur:

Ξέρξης μὲν ἤγαγεν, ποποῖ,
Ξέρξης δ' ἀπώλεσεν, τοτοῖ,
Ξέρξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφρόνως
βαρίδεσί τε ποντίαις. (vs. 542 sqq.)

Quantum ab hujus temeritate distat Darii prudentia, qui incolumis imperio praefuit et regnum tuitus est!

Τί ποτε Δαρεῖος μὲν οὔ —
τω ποτ' ἀβλαβὴς ἐπῆν
τόξαρχος πολιήταισιν,
Σουσίδης φίλος ἄκτωρ; (vs. 546 sqq.)

Interim Atossa, quae paullo ante ad libamina paranda discedens, senibus filii sui, si forte adveniret, curam commiserat, exeunte eorum carmine in scenam redit. Monstrat iis, quae domo secum attulerat, lac, mel, olivas, flores, in Inferorum

sacris adhiberi solita: quae dum ipsa facere instituit, illos rogat, ut interim Darii umbram e tumulo exsuscitent.

Confestim Chorus ad preces se vertit: primum obtestatur deos inferos ut defuncti regis animam in lucem prodire sinant: tum ipsum mortuum invocans laudibus cumulat; quippe qui olim »divinus audiret Persarum consiliator," hodieque »solus mortalium, si quid remedii sit, malorum finem indicare possit" (vs. 615-666).

Exaudiuntur preces: e tumulo prodiens DARIUS amicos blande affatur, et tanti luctus suique arcessendi caussam ab iis quaerit, at illi solita adversus regem verecundia, etsi semel iterumque rogati, respondere cunctantur (vs. 680 sqq. 686 sqq.) Ex quo Atossa eorum partes suscipiens calamitosum filii iter marito referre aggreditur, qua de re dum ambo colloquuntur, Chorus tacitus sermonibus adest nec prius interloquitur quam ubi Darius, imperii sortem considerans, agnovit quantum praesens rerum conditio a superiore differat: tum demum Chorus, caussae ob quam Darium invocaverat memor, ab ipso malorum remedium sciscitatur. Quod ille eo contineri putat, ut nova posthac expeditione in Graeciam abstineant, cum alias ob caussas, tum quod ejusmodi sit regionis natura, ut tam ingentem exercitum sustentare nequeat; quare quamlibet expeditionem eo susceptam malum eventum habituram. Quam sententiam Choro addubitanti probat exemplo recentis

itineris; cujus socios, qui e navali proelio vitam servassent, proximo anno terrestri pugna mortem inventuros, nec nisi paucos in patriam redituros esse vaticinatur. Deinde senes monet, ut sapientibus consiliis filii animum a superbia avertant; Atossam vero ut, decenti amictu ex aedibus prolato, Xerxi obviam eat. His dictis in tumulum redit (vs. 773-828). Atossa quoque marito monitis obsecutura digreditur, solis senibus in scena relictis, qui novo carmine (vs. 838-872) Darii regni gratam memoriam recordantur, tam victorias, quas reportasset, quam severitatem, qua milites continuisset, laudibus extollentes:

ἀκάματον δὲ παρῆν σθένος ἀνδρῶν τευχηστήρων,
παμμίκτων τ' ἐπικούρων. (vs. 869.)

Qua pristina felicitate praedicata, nihil quod addant reliquum est praeter hos, quibus carmen finitur, versus:

νῦν δ' οὐκ ἀμφιλόγως θεότρεπτα τάδ' αὖ φέρομεν πολέμοισι,
δμαθέντες μεγάλως πλαγαῖσι ποντίαισιν. (vs. 871.)

Ultimo loco XERXES in scenam prodiens sua exercitusque infortunia cum Choro communicat, mutui amborum *κομμοί*, quibus singulorum ducum fata deplorant, tragoediam finiunt (vs. 873-1033).

Ex brevi hac partium descriptione satis, credo, intelligitur, lyricas et epicas hujus fabulae partes prorsus coaluisse. Sed licet actio in ea tam exigua

sit, ut vir doctus potius eam »pulcherrimum hymnum in Libertatem" quam tragoediam appellare mallet (1): reputantes tamen, cum Aristotele, cuivis fabulae certam aliquam actionem esse subjectam (2), hanc in Persis Darii evocatione contineri Muellero assentimur (3). Haec enim est ipsa res quae agitur, quae et e praegressis quodammodo effecta est et cum sequentibus deinceps cohaeret. Nam supplicatio illa, quam primum Chorus Atossae suaserat (vs. 212 sqq.), »*ne possent* videlicet *saeva nocere somnia*", haec accepto cladis nuntio eatenus mutatur, ut ipsa jam Atossa Darium precibus evocandum censeat, quo scilicet de futuris rebus bene consuleretur. (vs. 517. sqq.)

Praeterea Darii partes ideo quoque gravissimae habendae sunt, quia per illas argumentum Glauci Pontii, quae erat tertia hujus tetralogiae fabula, indicatum et praeparatum esse veri simile est (4). Quin ipsae Chori personae ideo senes defunctique

---

(1) Westrik, in disp. de Aeschyli Choëphoris deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis, p. 121.

(2) Poët. C. 6. ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία.

(3) Gesch. der Gr. Liter. T. II, p. 84: Man sieht aus diesem Ueberblicke deutlich, dasz nicht die Schilderung der Sieger, sondern die Beschwoerung und Erscheinung des Dareios die Handlung ist, welche das Ganze zusammenhaelt, und darin die Idee des Stueckes hauptsaechlich ausgedrueckt sein musz. Conf. G. H. Bode, Gesch. der Hellen. Dichtk. T. III, p. 279.

(4) Vid. hypothesis prima. Conf. G. C. G. Schneider in introd. editionis suae. G. Bernhardy, Grundriss der Gr. Litt. T. II, p. 769. Bode l. l. p. 285 sq.

regis familiares fuisse mihi videntur, quia hi ad actionem fabulae ceteris aptiores imo necessarii essent. Illud certe nihili est, quod de caussa cur senes a poëta lecti sint alicubi legimus, nempe „senes illos, qui cum imperio fuisse videntur, solos fuisse quorum interesset regnum Persarum salvum esse et integrum": — siquidem virginibus non levior cura erat clades juvenum quam senibus. Potius eorum partes ex argumenti natura repetendae, quippe qui et rei gerendae pares essent, et loco quo res agitur atque personis agentibus soli convenirent. Illi enim ob singularem, qua apud defunctum regem valebant, gratiam hunc exorare optime poterant; eosdemque, sollicitudine commotos, ad tumulum adesse, ut a Manibus Darii opem orarent, maxime consentaneum erat (1); denique hi Atossae et Xerxi omnium aptissime adjungebantur, quia utrique pariter erant conjuncti: namque et reginam consilio et re juvare solebant (vs. 166 sqq. vs. 519), et regis adventum, eosdem tanquam regni et aulae procuratores praestolari admodum decebat. Quocirca praecipuam actionis partem Choro mandari plane consentaneum erat. In parodo igitur anteactorum memoriam replicans, simul dubitationibus proferendis argumentum fabulae praeparat (2); Atossae ut ad aver-

---

(1) Conf. Schneider Introd. p. VIII, et in Annot. ad vs. 146.

(2) Mirandum sane quod Ilgen in disputatione de Choro trag. graec. (Opusc. var. philol. T. I, p. 65) ubi de

runcandam cladem libamina fundat et Darium precetur suadet, in colloquio iterum sollicitum animum prodit (vs. 225-241); — deinde prodeuntem Nuntium excipit ejusque sermoni, silente Atossa, aliquamdiu solus respondet (vs. 252-281). Postea Atossae, ad flectendos deos sacra facienti, supplici carmine subvenit et in evocando Dario gravissimo fungitur munere. Porro vs. 773 sqq. postquam Atossa filii calamitatem mariti Manibus aperuit, Chorus partes suscipit sciscitando, qua tandem ratione remedium malorum inveniri et in posterum patriae consuli queat, et qualis sors eorum futura sit, qui in Salaminio proelio superstites mansissent. — In ultimo tandem actu Atossae rursus vicibus fungens, redeuntem Darium excipit, quocum sub exitum fabulae aedes regias intrat.

Caeterum Chori vis praecipue in lyrico cantu cernitur, quo dimidiam fere fabulae partem explet: modo vehementi dolore percitus, infortunia recens accepta κομμοῖς luget (vs. 252 sqq.

Aeschylo saepius inique judicavit, de ejus Choro scribere potuerit eum *res afferre ad statum. rerum praesentem minime necessarias;* — quod quum etiam Jos. Kabath (de Chori trag. gr. natura et munere comment. p. 19) *nonnunquam obtinere*, nullis prolatis exemplis, perhibeat, credo eos vel ad solemnem poëtae morem respexisse quo praeterita repetit, vel de obscurioribus *Agamemnonis* cantibus, qui regis necem praecedunt, cogitasse. Horum tamen argumenta nunquam ab actione fabulae aliena sunt: neque ullum Aeschyli carmen ad ἐμβόλιμα illa referri poterit, quae tangit Aristoteles Poët. C. 18.

et 882 sqq.); modo universae gentis moerorem considerans, cladis ejus auctorem libere carpit (vs. 524 sqq.); modo praeteritorum memor meliorum temporum imaginem praesentibus malis opponit (vs. 838 sqq). Haec carmina ita ordinavit poëta, ut *primum* carmen prologi instar ea quibus ad fabulae intellectum opus esset spectatoribus exhiberet; *secundum* actus primi, *quartum* actus secundi clausulam efficeret; *tertio* autem carmine, quod modo tetigimus, Chorus deos obtestaretur.

Vere igitur Bode, exposito Persarum argumento, concludit: hanc fabulam, si ad ejus dispositionem, nulla trilogiae ratione habita, attendas, ad primordia artis tragicae merito posse referri. Nam et longiora Chori carmina magnasque ipsius in agendo partes, et prolixas narrationes, praesertim quae Nuntio tribuuntur; porro divisionem in tres actus, in quibus tres diversae personae deinceps procedunt; denique dramaticae actionis exilitatem, quum sermo sine magna concinnitate interrogationibus et responsis lente protrahatur, — haec omnia priscam referre artis normam, ad quam verisimile sit Phrynichum optima sua dramata composuisse (1). Quibus addi potest, quod animadvertit Bernhardy, mores agentium personarum nulla arte esse variatos (2).

---

(1) Op. I. p. 265.
(2) Grundr. p. 767.

§. 2. Supplices.

A Persis ad *Supplices* accedimus: hanc enim fabulam, incerto tempore compositam, inter antiquiores merito recensere mihi videtur Schlegel, quem Welcker, Bode, Wellauer, Bernhardy aliique sunt secuti: quum et simplex operis compositio et histrionum numerus, qui in Aeschyli fabulis serius scriptis, quas quidem habemus, auctior est, id probabile reddant (1). Hanc opinionem confirmat quoque *Chori* ratio, de qua jam nobis erit videndum. Constat enim DANAI QUINQUAGINTA FILIABUS, quae ex antiquo more, ut modo in Persis vidimus, parodo fabulam incipiunt (2).

Danai ductu a Nili ostiis profugae,

> αὐτογένητον φυξάνορα
> γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ τ'
> ὀνοταζόμεναι (vs. 8 sqq.) —

---

(1) Quamquam serioris eam aetatis fuisse Orestiaeque aequalem, post Boeckium censuerunt Mueller in Eum. p. 123 et Hist. Graec. litt. p. 93. Passow Opuscc. p. 4. et nuper Franz, in Prooemio fuer den Lectionskatalog der Univ. in Berl. 1848.

(2) Numero eas pleno adfuisse contendit Bode p. 313, §. 4, sqq. Melius Boeckh (Gr. Trag. princ. C. 6) et Wellauer (in disput. de Choro trag. inserta diariis Neue Jahrb. v. Jahn und Klotz 10er Supplemb. Nov. 1844. p. 451 sqq.) 15 Danaides cum ancillarum turba prodiisse opinantes, quicum consentit Lindner in disput. de Choro in trag. Aesch. in Annal. Philol. et Paedag. a Jahnio ed. a. 1827, T. I, 3, p. 110 sqq.

incestas cognatorum nuptias fugientes, Jovem implorant et refugium ab incolis Argolidis precantur, unde, ut ajunt, sua ipsarum quondam stirps originem duxisset. Nam patria carentes huc illuc terrore agitantur, lusciniae instar, quae ab accipitre persequente propulsata, flebiliter novam sedem quaerit:

ἅτ' ἀπὸ χώρων ποταμῶν τ' εἰργομένα,
πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων. (vs. 61 sq.)

Quibus in precibus et obtestationibus diu commorantur (vs. 1-172).

Deinde compellat eas Danaus, qui incolarum turbam e longinquo advenientem conspicatus, filias ad prudentiam verborumque modestiam hortatur, et locum, quo se conferant hospitesque excipiant, iis indicat. Instante vero periculo, ubi filias videt anxia exspectatione suspensas, denuo una cum ipsis salvum rerum exitum a diis precatur (vs. 173-230).

Tum ordine se collocant et uni incolarum, de ipsarum patria et consilio quo venerint sciscitanti, e patris monitis prudenter respondent: haud prius enim ejus interrogationibus satisfaciunt, quam hospitem Pelasgum esse, Argivorum regem, audiverint (vs. 243-245). Itaque oblatae sibi regem precandi occasioni, praesertim quum ipse bono eas animo esse jubeat, neutiquam deesse volunt. Primum suam cum gente Argiva cognationem fugaeque caussam fuse planeque Pelasgo explicant (vs. 271-342); deinde auxilium sibi perfugiumque in Argolide supplici carmine ab eo poscunt. Ille

vero, quamvis earum votis obsequi diu multumque gravetur, quippe bellum suis civibus cum Aegypti prole metuens, tamen Danaidum precibus commotus rem proponere populo cum eoque se velle deliberare, quid faciendum sit, pronuntiat (vs. 343-449). Neque assiduis tantum Danaidum precibus, sed Jovis etiam reverentia ad id faciendum impellitur, eoque magis, quod illae mortem oppetere quam in tanta desperatione a rege deseri satius sibi esse testantur (vs. 450-462). Itaque ad urbem properat Pelasgus: virgines interim propinquum intrare nemus ibique quiete ipsius reditum manere jubet; Danaum vero cum supplicibus ramis dimittit, quos ut deorum aris imponat suadet, et, quo tutior sit ab incolarum injuriis, comites aliquot ei adjungit; filias autem, aegre a patre relictas, suo praesidio citoque patris reditu solatur, nec abs re fore addit, si faustum deliberationis exitum a diis indigetibus orent (vs. 463-518).

His monitis libenter illae parent: iteratas ad Jovem preces tollunt, per Iüs amorem deum orantes:

λίμνᾳ δ' ἔμβαλε πορφυροειδεῖ
τὰν μελανόζυγ' ἄταν!

Inserunt Inachi filiae amorem, cujus fata et errores, quo magis deum commoveant, apte accurateque commemorant (vs. 519-594).

Annuit Jupiter: redit Danaus fausta populi suffragia referens, civitatem et incolumitatem ipsis offerri nuntians. Quamobrem voti compotes Jovi

gratias agunt et vota faciunt pro Argivi imperii incolumitate, quam fore sperant ut neque bellum neque pestis evertat, utque et civium frequentia ac prosperitas augeantur in dies:

Τίκτεσθαι δ' ἐφόρους γᾶς
ἄλλους εὐχόμεθ' ἀεί.
Ἄρτεμιν δ' ἑκάταν γυναι-
κῶν λόχους ἐφορεύειν.
Μηδέ τις ἀνδροκμὴς λοιγὸς ἐπελθέτω,
τάνδε πόλιν δαΐζων,
ἄχορον, ἀκίθαριν, δακρυγόνον Ἄρην
βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων.
Νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν
ἵζοι κράτους ἀτερπής.
Εὐμενὴς δ' ὁ Λύκειος ἔ-
στω πάσᾳ νεολαίᾳ.
Καρποτελεῖ δέ τοι Ζεὺς ἐπικραινέτω
φέρματι γᾶν πανώρῳ.
Πρόνομα δὲ βοτὰ τὼς πολύγονα τελέθοι
τὸ πᾶν τ' ἐκ δαιμόνων λάβοιεν. (vs. 659 sqq.) (1).

---

(1) Interpretationi inserviant insequentia, quibus animi caussa hanc pulcherrimi cantus partem exprimere tentavi:

Vermenigvuldigd worde, o Argos,
Uw vorstental! — zoo smeeken wij —
Uw' vrouwen blijve in 't uur der smarte
Diana Hecate nabij!
Geen wreede pest trede in uw wallen
En sla uw kloeke mannen neer,
En geve voor geroofde blijdschap
U rouwmisbaar en tranen weer!

Sed non diu hoc gaudio perfruuntur: nam mare Aegaeum prospiciens subito Danaus metu opprimitur, et filiarum cantico derepente subjicit, jamjam Aegypti filios appropinquare, cernere se eorum navem, quae contractis velis celeri remigum opera advehitur. Quare urbem adire et promissum civium auxilium invocare statuit. Statim eo nuntio virginum paean in luctum convertitur: metuunt denuo persequentium immanitatem, quibus ne arae quidem deorum impedimento futurae sint, quominus sponsas sibi auferant. Quare Danaus, priusquam urbem adit et civium auxilium invocat, filias hortatur, ut diis et Argivorum armis confidant; non enim periculum esse, ne se absente, quum instet noctis tempus, hostes in importuosam Peloponnesi oram appellant (vs. 691-756). Illae tamen aegre auscultant patri, a quo se deseri, impendente malo, graviter ferunt et commotissimo carmine (vs. 756-804) queruntur, se salute destitutas praeter mortem nihil quod optent, reliquum habere:

τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦ-
ται φιλαιακτῶν κακῶν —

Geen zwerm van ziekte valle neder
En woede op uwer burg'ren erf!
Maar Lycius Apollo were
Van maagd en jong'ling elk verderf!
Uw akkers kroone Zeus met zegen
Van vrucht, in elk saisoen gedijd;
En 's Hemels gunst vermeerdere in uw weiden
Het vee, dat grazend voorwaarts schrijdt!

in tantaque desperatione et humanae sortis despicientia versantur, ut patris monitis vix obsequantur, atque sub finem demum carminis Jovis meminerint, cujus potentiae per omnia patenti ne in anxiis quidem his rebus diffidere velint:

τί δ' ἄνευ σέθεν
θνατοῖσι τέλειόν ἐστιν; (vs. 803.)

Subito vero acerbum edunt ejulatum:

ὅδε μάρπτις νάϊος, γάϊος!

Jam enim prodit Legatus, a littore adveniens, torvo vultu profugas ad navem acturus, cui aliquamdiu precibus obnixae, tandem atrocius minanti cedere coguntur (vs. 805-888). Verum quominus raptae abducantur prohibet rex Pelasgus, qui, auspicato superveniens, raptoris temeritatem acerbe reprobat, hominemque ad navem dimittens, Aegyptiadis referre jubet, se civesque Argivos Danaides in civitatem recepisse easque ab omni injuria defensuros esse. Quo facto ipsas benigne affatus urbem intrare jubet, ubi pro arbitrio vel in regiam devertere vel separatas sedes habere, si malint, poterunt.

Virgines pro tanto beneficio regi gratiam agentes rogant, ut pater Danaus sibi reducatur, quocum prius de habitatione deliberare velint (vs. 944-952). Hic igitur Pelasgi interventu revertitur, comites secum ducens quos ipsi populus tribuit, praecipitque puellis, ut, antequam urbem intrent, fausta civibus servatoribus a diis precentur, in urbe vero sapienter decenterque coram

civibus se gerant, utque ambas aedes habitatum eant, quas et rex et cives ipsis destinassent.

Itaque abiturae, e patris mandato, aeternam Argivis gloriam precantur (1), quibus vota subjiciunt pro sua ipsarum incolumitate, Lunamque quae exoritur et Venerem denuo. obtestantur:

μηδ'
ὑπ' ἀνάγκας γάμος ἔλθοι
κυθέρειος, —

quippe nondum omni cura liberae sunt, sed earum pars quidem Jovis numine freta est, —

ὁ μέγας Ζεὺς ἀπαλέξαι
γάμον Αἰγυπτογενῆ μοι, —

et deo confidendum esse ex Iüs fatis fortunaque colligit; pars vero fatales nuptias formidare pergit (vs. 996-1059).

Hanc quoque fabulam, si compositionem spectes, priscam referre simplicitatem cum alia docent,

---

(1) Vs. 996 sqq. editores in hemichoria dividunt; sed merito Mueller, Hist. gr. litt. p. 70 sq. plures hoc loco voces sententiasque et commotiorem cantum suspicatur; divisionem autem in hemichoria raro, nec nisi certis conditionibus obtinere putat, veluti in Sept. c. Theb. vs. 1058 ed. Weil. et apud Sophoclem Aj. vs. 847 ed. Wund. — Lindner contra disp. supra l. p. 110 sqq. ultimum hoc Chori carmen sive a 3 primi ordinis Danaidibus, sive a 3 Chori partibus cantatum esse credit. Quod haud improbabile.

tum praesertim Chori ratio et partes. Hic enim totius actionis auctor est et effector. Nam Danaidum res sola agitur, ipsaeque precibus suis efficiunt, ut hospitium sibi ab Argivis concedatur: quod hujus fabulae argumentum est. Quamquam autem Pelasgus primas agit, sustinent tamen Danaides ea πάθη, quae alioquin protagonistae tribuuntur; et in agendo etiam ac colloquendo longe gravissimas esse Chori partes, jam supra, credo, satis animadvertimus. Restat modo ut artem, qua Aeschylus lyrica carmina in hac tragoedia digesserit, tangamus.

Etiam hîc Chorus προλογίζει. Quo prologo cum omnia, quae spectatoribus scire opus sit, continentur, tum etiam horum animi ad futurum dramatis exitum praeparantur, perinde atque in Persarum parodo. Deinde, post diverbia Chori cum Danao et Pelasgo, hunc supplici carmine sibi propitium reddit atque persuadet, ut caussam suam civibus commendet. Itaque ut in Persis, sic hoc quoque loco, preces Chori valent ad actionem maturandam.

Tertium porro stasimon (vs. 519-594) historici argumenti est et praeteritorum memoriam continet: Iüsque fata et errores eodem modo repetuntur, quo in Persis felix Darii imperium senum laudibus celebratur (vs. 838-872). Verum ut in Supplicibus major canticorum ubertas, ita plus etiam actionis inest quam in Persis. Velut Legati adventum, et quae hunc praecedit Supplicum

desperatio et fletus quos edunt, tum illius violentia et subsecutus deinceps Pelasgi reditus (1) pulchrum actum efficiunt variantque tragoediam περιπετείᾳ et motu tragico, qualem in Persis desideramus. Hujus autem quarti cantus (vs. 757-815) talis est ratio, ex qua facile spectatores hostium adventum conjiciant ad eumque praeparentur. Quale futurorum augurium omnium fere tragoediarum proprium et Aeschylo solitum esse, ut supra jam animadvertimus, ita saepius posthac videbimus (2). Quod autem choricorum carminum sylva nullo sit artificio disposita, id, nisi fallor, ex argumenti ratione potest quodammodo explicari. Quales enim proponere nobis Danaides poëta voluit? Tales nimirum, quae ob eximiam pietatem Jovis cura tutum sibi hospitium invenirent. Et tales etiam in scena conspiciuntur. Nam, decedentibus reliquis, eae solae perpetuo in scena manent, et varios animi motus, diversis agentium verbis sententiisque effectos, carminibus exprimunt: — sive autem laeta, sive tristia eveniant, in omnibus aeque deorum memores, modo Jovi gratias agunt, modo enixe supplicant et crebras ubique preces admiscent (3). Ipsae virgines velut praemium certantibus in medio sunt propositae; sed ingruentis Fati impetum religione

(1) Sic ap. Sophoclem rex Theseus Creontem arcet Oed. Col. vs. 886 sqq. ed. Herm. 2ae.

(2) Conf. Wellaueri disput. supra laud. p. 447 sq.

(3) Jovis potentiam, prae ceteris diis, hac fabula cele-

sua et pietate in breve tempus propulsant, atque pro variis affectibus, spe, metu, angore, laetitia, adeo sublimes produnt animi sensus, ut jure Muellerum opinari putem: carminum lyricorum pulchritudinem effecisse, ut fabula nobis servata sit (1). Personam Chori in hac tragoedia Bernhardy his verbis notat: „idem, inquit, et actoris partes, et moralis personae officium tuetur:" — qua definitione etiam Eumenides complectitur (2)

§. 3. Septem contra Thebas.

Eteocles, quum de impendentibus malis a Tiresia praemonitus cognovisset, noctu convenisse hostes, ut hoc ipso die urbem aggrederentur, rem cum civibus communicat eorumque animos ad fortitudinem hortatur. Quo certior autem foret de rebus consiliisque hostium, viros aliquot speculatum misit, quorum se nuntium exspectare narrat. Dicto citius Ἄγγελος advolat, qui ets non omnia accurate explorasset, summatim tamen refert, septem esse hostilium copiarum duces, qui, sortitione facta, alius aliam urbis por-

---

brari animadvertit Bode p.309, qui conferre jubet Bluemner et Klausen.

(1) Gr. Litgesch. II, 92 - - der Reiz dieser Gesaenge scheint auch allein die Erhaltung des Stueckes bewirkt zu haben.

(2) Grundr. II, 730 — bald nimmt er unmittelbaren Antheil an der Handlung in welcher er als sittliche Partei steht.

tam aggressuri sint, eosque feroci animo per deos jurasse: aut urbem a se excisum iri, aut se Thebanorum ferro perituros. Propterea tempus urgere ait, ut statim de urbis defensione Eteocles consilia capiat; dum ipse, quo certiora mox referat, iterum speculatum abiturus sit. Quibus rebus Eteocles commotus et de patriae salute sollicitatus, priusquam ad agendum se accingit, deorum indigetum auxilium implorat (vs. 1-77 ed. Schneid.).

Rege in arcem digresso, confusae voces audiuntur, citoque in scenam prodit Virginum turba, quae audito belli strepitu, ad deorum simulacra, ante acropolin posita, confugiunt. Commotissimo carmine (vs. 78-163) tumultum belli et curruum armorumque stridorem, una cum periculosa urbis conditione depingunt, et velamentis coronisque deorum simulacra ornantes, singulos pro patriae civiumque periculis depellendis implorant:

Κλύετε παρθένων, κλύετε πανδίκως
χειροτόνους λιτάς.
ἰὼ φίλοι δαίμονες,
λυτήριοι ἀμφιβάντες πόλιν,
δείξατ' ὡς φιλοπόλις,
μέλεσθε δ' ἱερῶν δημίων,
μελόμενοι δ' ἀρήξατε·
φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
μνήστορες ἔστε μοι. (vs. 155-163) (1).

(1) Haec ad verbum ita exprimere conatus sum:
Verhoort der maagden smeekgebed,

Interim Eteocles nuntium, unde nova de hostium copiis comperiat, jam rediisse ratus, confestim in scenam revertitur. At ubi virgines terrore afflictas invenit, vehementer earum praesentiam improbat, quippe quae lamentationibus suis civium animos frangant. Illae vero, sermone cum rege instituto, venisse se ajunt terrore belli attonitas, ut deos pro civium salute deprecentur (vs. 185, 193 sqq.). Deinde insolentiora Eteoclis verba corrigunt, deorumque quam rex parvi facere videtur potentiam laudibus extollunt, quippe quorum gratia factum sit, ut per omne tempus civitas incolumis steterit (vs. 201, 208, 215 sqq). Strepitu tamen belli, quo jam magis magisque resonat scena, adeo perterrentur, ut crebras querelas obtestationesque, invito etiam rege, edant; qui, postquam frustra poenas iis minatus est, amice et blande supplicando tandem impetrat, ut sibi obediant et a querelis abstineant. Nam instante periculo sibi arcem introeundam esse et de Thebanorum ducibus quos Argivis opponat eligendis, prius quam novi nuntii venerint, deliberandum; illas interim canere jubet sacrum paeanem,

---

Tot U met opgeheven handen
Gebragt, o lieve Goden, redt!
Treedt om de stad verlossend heen:
Toont dat ze u lief is! Gij die let
En toeziet op der volkren offeranden:
Nu zij uw hulpe en toezigt één!
Herdenkt toch de offers, die in Thebe brandden,
De blijde feesten van voorheen!

nem, quo civibus fiduciam, terrorem adversariis incutiant, diisque vovere hostias et tropaea, opimis spoliis instructa (vs. 164-268).

His tamen mandatis virgines, quamvis cupiant, graviore cura sollicitatae, obsequi nequeunt: quum jam irruentem hostium turbam intuentes eadem se urbi metuere dicant, quae instante dracone pullis columba reformidet. Sed sublatis precibus deos per Thebarum amoenitatem obtestantur, ut declinent hostium vim et antiquae urbi prospiciant. Cujus, si expugnaretur, tristissimam sortem cunctorumque civium calamitatem depingunt.

Hinc oculos convertunt in scenam, in quam Nuntius et Eteocles jam redierunt (vs. 269-356).

In sequente actu, in quo Nuntius septem ducum nomina refert et mores exprimit, Eteocles contra singulis eorum singulos de suis adversarios destinat, Tydeo Melanippum, Capaneo Polyphontem et sic porro reliquos, Chorus identidem stropham intercinit, qua suis bene, hostibus male futurum precatur (vs. 399, 434, 463, 503, 545, 608 sqq.), donec audito Eteoclis consilio, velle se fratri in pugnam obviam ire, id tanquam temerarium reprehendit et caute dissuadet (vs. 659-701). Frustra: spretis virginum precibus monitisque abit Eteocles, cujus profectione desertâ scenâ, singulare fratrum proelium novi cantici materiem virginibus praebet.

Horrent diras, quas pater olim filiis imprecatus

erat, quarum eventum ipsorum dementia et pugnandi lubido jam misere maturet. Atque verentur quidem, ne utrique crudelis gladius suam sortem sit tributurus:

> χθόνα ναίειν διαπήλας,
> ὁπόσαν ἂν καὶ φθιμένοις κατέχειν,
> τῶν μεγάλων πεδίων ἀμοίρους (vs. 713 sqq.).

Si vero alter alterum percusserit fraternoque sanguine terram consperserit, quae tandem lustratio, quod sacrificium tam infandum scelus expiet?

> ὦ (exclamant)
> πόνοι δόμων νέοι παλαι-
> οῖσι συμμιγεῖς κακοῖς!

Manifestum enim jam est, infortunia regiae stirpis in tertium aevum prorogari. Ex quo sponte antiquiora Labdacidarum mala recordatae, oraculorum, quae Lajus olim Delphis tulerat, ejusque imprudentiae et necis memoriam replicant. Deinde Oedipi nimiam felicitatem describunt; quam, quum dii hominesque admirarentur, subito in nimiam miseriam et sui filiorumque exsecrationem mutatam esse canunt (vs. 702-773). Finito Chori cantu, faustum pugnae exitum Nuntius cum virginibus communicat, simul vero regis Eteoclis mortem affert, qui singulari proelio cum fratre congressus, eodem impetu, quo hunc interfecerit, ipse interfectus sit.

Hac de re cum virginibus paullisper colloquitur, quae, fratrum cadaveribus jam in scenam allatis, id ipsum evasisse, quod modo auguratae

essent, haud sine summa moestitia agnoscunt (vs. 785-803). — De integro canere aggrediuntur, salutem urbis deosque sospitantes paene oblitae, ut „diram hastarum conflictionem" lugeant et utriusque acerbissimo fato ingemiscant.

Deinde Antigonen et Ismenen, quae prodeunt, benigne affatae sororum fortunam ex animo miserantur; et per hemichoria modo expletas Oedipi exsecrationes reminiscuntur, modo miserae filiorum sorti illacrymant (vs. 804-937).

Chorum excipiunt sororum naeniae, quibus utriusque fratris mortem mortisque modum et suam atque gentis miseriam solemni modo lugent (1).

Mox vero, dum jam de communi fratrum sepultura deliberant, alternis his versibus:

Ant. *ἰὼ ἰὼ, ποῦ σφε θήσομεν χθονός;*
Ism. *ἰὼ ἰὼ, ὅπου τιμιώτατον.*

Ant. et Ism. *ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον* (2) — praeco renuntiat urbis principes Eteocli quidem sepulturae honores decrevisse, Polynicis vero cadaver, ut qui hostili manu patriam aggressus esset, inhumatum et indefletum projici jussisse.

Quibus mandatis acriter intercedens, Antigone

---

(1) Celebratissima illa diverbia gallice expressit, quamvis liberius, at venustissime tamen Casimir Delavigne, p. 177. ed. Laur.

(2) Antigone.
Où les ensevelir?
Ismène.
A côté de leur père:
Il fut infortuné comme eux.

iis se obsecuturam esse constanter negat. Chorus autem, incertus quid agat, in diversas sententias discedit: pars cum Ismene, populi jussa metuentes, Eteoclis funus prosequi statuunt; pars, spreto populi edicto, cum Antigone faciunt eique se sepulturae socias comitesque adjungunt (vs. 1041-1065).

Aeschylus ipsius argumenti ratione adductus esse videtur, ut in hac fabula Chori partes *virginibus* tribueret (1). Sed eaedem aptissimae etiam erant, quae tum reliquis personis, tum praesertim protagonistae apponerentur. Quum enim Eteocli intrepido trepidantes virgines adjungantur, eo fit, ut hujus mores celsiores appareant, quod tam poëtae arti, quam Chori officio est consentaneum. Chori autem partes in monendo magis quam in agendo cernuntur: quamquam nec actione caret et ingenuum liberumque animum (tam in primo cum rege colloquio quam in exitu fabulae) re et verbis ostendere non dubitat. Verum in priore fabulae parte ea fere agit, quae Sophocles simili in re deuteragonistae mandasset, si certe actorum partes probe descripsit Mueller his verbis: „Deuteragonista," inquit „(si tres agunt actores) eorum partes tuetur, quorum animus, quamquam facilius graviusque commovetur, minus tamen fortis et altus est quam protagonistae.

(1) Vid. vers. 10 sqq.

Quales personas, inferiores quidem minusque constantes, attamen sua morum commendatione et praestantia neutiquam destitutas, Sophocles, quo magis protagonista emineat, umbrae instar huic adjungere solet" (1). Nam tales etiam hoc loco sunt Chori mores: sermones ejus plane respondent iis, quae exempli gratia *Ismene* et *Tecmessa* apud Sophoclem in *Antigone* et *Ajace* peragunt (2).

Verum alterum etiam est Chori munus superiore amplius, idque tam ipsius officio quam fabulae argumento accommodatissimum, quo cum in priore tum in posteriore maxime fabulae parte fungitur. Mirifice enim suaves illi atque flebiles choreutarum cantus variant fabulam Marte plenam, quam qui spectaverit, teste Aristophane, miles esse ardeat (3).

---

(1) Hist. Graec. Litt. II, 58: Dem Deuteragonisten fallen dan die Rollen zu, in denen mit einer hochern Waerme der Empfindung, sich doch nicht die Kraft und Tiefe verbindet, die dem Protagonisten zukommt; schwachere Charaktere von leichterem Blut und minderem Zwunge des Geistes, die Sophocles den Hauptpersonen gern als eine Folie zur Hervorhebung ihrer vollen Staerke beigibt: wiewohl auch diese eine eigenthuemliche Schoenheit und Erhabenheit des Charakters entwickeln koennen.

Rem jam tetigerat Cicero Div. Verr. 15: ut in actoribus graecis fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquando clarius dicere quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat.

(2) His addi potest Chrysothemis in Electra vs. 1021 sqq. ed. Wund.

(3) Arist. Ran. vs 1022.

E Chori canticis *parodus* et *primum stasimon* ad populum cunctosque cives pertinet; *secundum* et *tertium* unice fere ad fratres eorumque certamen spectat. Parodus egregie aestum belli atque terrorem, qui civium mentes occupaverat, exprimit et post allatum de instantibus hostibus nuntium regisque preces aptum obtinet locum. Stasimo autem, ingravescente magis magisque periculo, desperata paene urbis conditio et adversi certaminis calamitates describuntur precesque enixius iterantur.

Sed quae erat hucusque communis populi caussa, ea post fatale Eteoclis consilium propria hujus et Polynicis facta est. Nunc virgines dirarum Oedipi memores, ne hac ipsa hora eae impleantur fratrumque vita in ultimo discrimine versetur, vehementer metuunt. Quibus cogitationibus adeo tenentur et gravantur, ut sui ipsarum civitatisque quodammodo obliviscantur. Hinc intelligitur, cur in carmine illo, quod canitur eo ipso tempore, quo in portis certatur, Labdacidarum fata fuse commemorentur, ipsius vero civitatis semel tantum mentio fiat, quatenus haec quoque per Laji temeritatem misere affligitur:

Κακῶν δ', ὥσπερ θάλασσα, κῦμ' ἄγει,
τὸ μὲν πιτνόν· ἄλλο δ'. ἀείρει
τρίχαλον, ὃ καὶ περὶ πρύ-
μναν πόλεως καχλάζει.
Μεταξὺ δ' ἀλκὰ δι' ὀλίγου
τείνει πύργος ἐν εὔρει,

δέδοικα δὲ σὺν βασιλεῦσι,
μὴ πόλις δαμασθῇ. (vs. 740 sqq.) (1).

Neque aliam ob caussam Chorus, audito pugnae exitu, non laeto carmine Thebanorum victoriam celebrat, sed flebilem cantum ob perfectas Oedipi exsecrationes instituit, naeniisque et lacrymis defunctos conqueritur. Ita in omnibus iis, quae vs. 803-937 a Choro cantata leguntur, bis tantum civitatis mentio fit, modo ut regem suum lugentis —

διήκει δὲ καὶ πόλιν στόνος,
στένουσι πύργοι,
στένει πέδον, φίλανδρον. (vs. 880 sqq.)

modo ut fratrum rixa graviter quoque afflictae:

Πάρεστι δ' εἰπεῖν ἐπ' ἀθλίοισιν,
ὡς ἐρξάτην πολλὰ μὲν πολίταις,
ξένων τε πάντων στίχας
πολυφθόρους ἐν δαΐ. (vs. 903 sqq.)

Tandem Chorus, quod supra tetigimus, populi mandatum de sepultura fratrum ut iniquum reprehendere et cum Antigone contemnere non dubitat: quo spectat haec Bernhardyi animadversio: Chorum, quum probe humaneque sentiat, beni-

(1) Een' breeden vloed van rampen voert hij [Lajus] aan,
Wiens golven, reeds gestild, weer opgedreven
En klaatrend, nu zelfs om den steven
Der stad heur klaauwen slaan.
Op smalle strook slechts breidt zich uit
De ringmuur, die de golven stuit:
Ach, 'k ducht, bij 't lot van 't vorstenpaar,
Ook voor de stad gevaar.

volentia vel aequitate adeo subinde commoveri, ut magnis rebus se immisceat, atque liberum se praestare non ratione modo, qua animi sensa exprimit et e praeteritis de praesentibus ratiocinatur; verum etiam auxilio et facto, quo huic illive agentium succurrit (1).

§. 4. Prometheus vinctus.

In prologo Ἥφαιστος et Κράτος (*Βία* enim muta persona est) Titanem Jovis jussu Caucaso affigunt. Quorum ille quidem invitus triste munus exsequitur, hic vero Promethei aerumnis insultat et mandatum sibi negotium saeviter perficit; quo facto Vulcanus cum comitibus decedunt (vs. 1-87).

Tum demum Prometheus silentium, quod huc-

(1) Bernhardy, l. l. p. 730: „bald fordert ein rein menschliches Gefuehl, das durch persoenliche oder rechtliche Beziehungen geschaerft ist, seinen Zutritt zu grossen Geschicken, und er bezeugt seine Selbstaendigkeit nicht allein in freiem Urtheil und in Kritiken der an Vergangenes angeknuepften Gegenwart, sondern auch (wie im Schluss von *S. Th.* und *Agam.*) durch That und Parteinahme.»

Caeterum ex didascalia in Cod. Aesch. Med. plut. 32, 9. argumento Sept. c. Th. inserta jam constat Oedipodiam, cujus de partibus viri docti diversas conjecturas protulerant, fabulis *Lajo*, *Oedipode*, *Sept. contra Th.*, *Sphinge* satyrica constitisse, eamque doctam esse Archonte Theagenide Ol. 78, 1. a. Chr. 468. anno ante mortem Aristidis. Conf. v. cl. Franzii Prooemium supra ll. Vera jam vaticinatus fuerat Hermann in disput. de comp. tetral. tragic. (Opuscc. II, 314 sq.) a. 1819 edita.

usque servavit, rumpit et iniquitatem Jovis reputans, terram, maria, flumina, solem testatur, ut adspiciant quantam in miseriam, ob benificium hominibus praestitum, a novo deorum rege sit detrusus. Mox autem ex aëris strepitu aliquem advenire sentiens, postquam Oceanidas curribus per coelum advectas adspexit, querelas suas exprobrationesque repetit, eoque acrius, ut illas propitio erga se animo esse cognovit. Oceanides narrant se, audito in antris catenarum malleique stridore, vix impetrata a patre migrandi venia, confestim huc venisse (vs. 128 sqq.); — conspectis vero Promethei cruciatibus maximopere ingemiscunt, et recens imperantis iniquitatem improbant (vs. 144 sqq). Deinde querentem, quod ita in inhospitali Caucaso expositus, nec in Inferis potius ab omnium oculis et ab inimicorum contumeliis remotus sit, solantur illae communi deorum omnium commiseratione, uno excepto Jove, quem a superbia et dominatione non prius cessaturum opinantur, quam vel ipsi libuerit vel alterius fortasse artibus victus succubuerit (vs. 159 sqq).

Postrema haec Chori verba accipit Prometheus et protinus asseverat, Jovem aliquando victum iri, sed vincendi dei rationem, etsi probe sciat, tamen ne minitanti quidem se patefacturum affirmat, nisi prius ab eo vinculis sit liberatus. Deinde Choro veram Jovis saevitiae caussam sciscitanti exponit, quibus rebus olim bene de Jove promeritus sit; culpam autem, quam contraxerit, in

eo positam esse, quod mortales, quorum prius tristissima fuisset conditio, consiliis suis et opera adjuverit. Quae res adeo mira Choro videtur, ut et Promethei miserrimam sortem horreant, eumque porro interrogent, feceritne aliud quiddam et ultra fortasse, quam fas sit, processerit. Sed quamvis ille dona, quae in mortales contulerit, singula deinceps enumeret, aequitatem tamen supplicii non assequitur Chorus, neque caussam videt, cur vel Jovem assidue irasci oporteat, vel Prometheo de malorum suorum fine sit desperandum. Non dissimulat quidem Prometheum errasse, sed, errore semel commisso, illud modo restare ait, ut subsecuti mali remedium et finis quaeratur. Quibus rationibus nec repugnat Prometheus nec plane adsentitur, sed facile esse dicit ei, qui ipse expers mali est, in malis versantem solari et monere: se peccasse quidem, idque scientem et volentem, haud diffitetur, sed peccati poenas, quantas nunc patiatur et in posterum passurus sit, unquam se meruisse aut suspicatum esse negat. Itaque Oceanides orat, ut e curribus descendant et prope adstantes fusius etiam infortunii sui rationem et mala impendentia audiant: — quibus precibus illae facile obsequuntur (vs. 167-283).

Intercedit colloquium cum Oceano, qui eodem quo filiae animo et consilio adveniens Prometheum de deponenda temeritate prudenter item hortatur, eique operam suam pollicetur, dicens, velle se

Jovem adire et precibus ad solvenda vincula permovere. Quod quidem consilium, quamvis saepius ei offerat nec irritum fore credat, frustra tamen Prometheo probare conatus, infecta tandem re, decedit. Oceanides autem, digresso patre, stasimo carmine miserandam Promethei sortem illacrymant, et superbiam Jovis carpentes, luctum describunt quem omnes terrarum gentes ex Promethei calamitate perceperint, quo quidem, praeter Atlantem (cujus fata modo enarrari audiverant), neminem gravius aut turpius supplicium perpessum esse (vs. 397-433).

Jam tristem mortalium sortem describere Prometheus incipit, recensendo singula quibus eos a fera agrestique vita ad humanum cultum deduxisset: stellarum ortum et occasum nosse, domare feras, navigare fluctus: quibus artibus quum olim homines juverit, nunc nullam se artem habere qua ipse aerumnis expediri queat. — Imprudentis hoc quidem esse animadvertit Chorus vs. 470 sqq.

Porro morborum sanationem, vaticinandi facultatem, metallorum usum, omnes omnino artes a se primum inventas et hominibus datas esse testatur. Unde Chorus Titanem, tanta sollertia praeditum, vinculis aliquando liberatum iri neque Jove minorem fore suspicatur. Ille vero non arte quadam, sed necessitate artem superante, quam ne Jovem quidem effugere posse, hunc aliquando victum iri pronuntiat. Cujusmodi vero

illud fatum sit quod Jovi impendeat, rogatus in praesens Oceanidibus non aperiendum, sed quam maxime celandum censet (vs. 505-524). Quare illae dictis ejus diffisae ipsumque inania sperare aut moliri suspicatae, animum sententiamque de Prometheo, in proximo stasimo, penitus mutant. Ibi enim ad saniorem mentem reversae tergiversationem contra Jovis jussa vituperant, pietatem verborumque modestiam sibi deprecantur, temeritatem vero, adspecto Promethei exemplo, horrent. Qualem enim ille Jovis contemtor benivolentia sua atque donis gratiam apud mortales iniit!

Οὔποτε τὴν Διὸς ἁρμονίαν
θνητῶν παρέξίασι βουλαί.

Scilicet ex pristina felicitate in miseriam dejectus inops jacet; et cujus ipsae quondam nuptias cum Hermione laeto carmine celebrassent, hujus nunc aerumnas flebiliter deplorant (vs. 524-559).

Deinceps in scenam prodit iniquis fatis huc illuc agitata Io, sortem suam lugens, et cum Prometheo sermones serit, tum de illius vinculis et poenae caussa tum de sua ipsius calamitate, quo pacto in hanc inciderit; — Prometheus ei longas, quas passura sit, errationes et simul futurum Jovis casum suamque ipsius liberationem singillatim enarrat; — tandem ubi malorum suorum finem rationemque qua e sua progenie liberator Promethei exoriturus sit, cognovit, furoris stimulo denuo percita scenam queribunda deserit.

Toti autem huic actui, si paucos versus (690-697) excipias, quibus Iüs aerumnis ingemiscit, Chorus nihil interloquitur, nisi quod ad dicta vel elicienda vel protrahenda spectet (vs. 590, 634 sqq. 700 sq. 747, 784 sqq. 821 sqq). Discedentem demum virginem Oceanides prosequuntur carmine, quod praegressi actus summam Chorique sententiam inde effectam continet: sapientem praedicant eum, qui primus docuerit nuptias cum paribus initas ceteris praestare: quod ut Iüs exemplo egregie sibi probatur, ita deorum coelestium amores deprecantur, praesertim Jovis, cujus voluntas evitari nequeat (vs. 889-908).

His dictis Prometheus ad iram provocatus, quum aegre ferat Chorum verbis suis fidem non habere, fatalem Jovis casum audacius etiam vaticinatur. Sed nec ille virginum mentem vaticiniis suis mutat — nam opinantur eum credere quae speret, et eos tantum sapientes esse ajunt, qui malis non obsistant — neque Chori monita et objurgationes audacem Promethei animum a superbia avocare possunt (vs. 909-945).

Tandem Mercurius prodit, a Jove missus, ut Promethei dicta de ipsius conjugio exploret; qui primum aspere, postea sedatius eum reprehendit et ad obsequendum Jovi hortatur; quibus consiliis ubi nihil proficit — quamvis admonente Choro (vs. 1038 sqq.) — gravem pertinaciae poenam ei minitatur: nimirum fulmine ictum in Orcum detrusum iri et aliquanto post in lucem reversum

assiduo aquilae morsu, jecus lacerantis, excruciatum iri. Quae quum ille non minus superbe quam caetera despiciat, ad Oceanides se convertit Mercurius, discedere eas monens prius quam fulmina Caucasum feriant. Cui tamen consilio, contra atque ille putaverat, eae non parent: instante enim periculo nefas esse deserere miserum, ideoque extrema subire et Prometheo adesse statuunt (vs. 1065-1072). — Ingruentibus tonitribus fabula finitur.

Quod ad Chorum attinet, ut in tragoedia *Sept. contra Theb.* animadvertimus, ita hic quoque agnoscamus, eum aptissime a poëta esse constitutum. Nam neque deorum neque hominum Choro commodns hic fuisset locus, neque Cabiros, Vulcani famulos, qui soli supererant, ostendente Welckero (1), poëta adhibere potuerat, quippe qui Prometheo fuissent iniquiores (2). Oceanidum autem munus, quamquam .Thebaidum partibus in fabula *Sept. contra Theb.* haud dissimile, minus late tamen patet et aliter est descriptum. Utroque quidem loco choreutae talem tuentur personam, quae protagonistae, cui favent, magnanimitatem sua morum lenitate eminentiorem reddat; sed pro argumenti discrimine utriusque Chori partes sunt diversae. In *Sept. c. Th.* scenā sae-

(1) Ueber die Aeschyl. Tril. Prom. p. 13, 26.

(2) Quam rem tangit etiam Uylenbroek in diss. l. p. 11.

pius variatur deceduntque personae: Eteocles in prima fabulae parte non semper adest, abest plane in altera: primarum partium actor primum Eteoclis, post Antigonae personam agit: nuntii veniunt et decedunt: itaque Chorus vel prodeuntes excipit carmine vel abeuntes prosequitur: exitus demum sive λύσις dramatis (victoria Thebanorum) ejusmodi est, ut in eo Chorus principes obtineat partes.

Alia plane res est in *Prometheo vincto.* Ibi protagonista perpetuo adest in scena et Chorum sibi socium habet: quum autem ibi continenter duae adsint personae, eo fit, ut sermocinandi maxima, canendi vix ulla sit opportunitas. Quod ita esse arguunt minuta stasima, quorum tria tantum inseruit poëta; quum contra in reliquis tragoediis saepius lyrica epicis intertexere soleat. Caret enim Prometheus vinctus tam parodo continenti quam exodo, quales plures Aeschyli fabulae habent (1).

Sed quum lyricorum carminum penuriam memoro, non ideo actionis amplitudinem extollo, quam merito *minimam* appellat Bernhardy. Nusquam enim frequentiora sunt cantica quam in hoc dramate, quod perlegenti vereor, ne in mentem veniat Aristotelis illud de tragoedia praeceptum: τραγῳδία μίμησις - - δρώντων καὶ οὐ δι'

(1) Ex. gr. Suppl., Sept. c. Th., Choëph., Eumen. Qua tamen de re conf. Hermanni commentarius ad Aristot. poët. 12, 6, p. 132.

ἀπαγγελίας (1). Aristoteles autem, (Poët. Cap. 6 et 18,) hanc fabulam ad quartum tragoediarum genus refert, *τὸ ὁμαλόν*, i. e. in quo est *μῦθος ἁπλοῦς*; quod totum genus ibidem improbat Cap. 13 (2).

Chorus autem, ut ad eum revertamur, passim hortantis agit personam, et quamquam Oceano hac parte non inferior, pro sexus tamen aetatisque discrimine, minus graviter constanterque loquitur. Nam libere quidem elatiora Promethei verba passim castigat, sed natura sua ad probandas ejus rationes propensior est; — ambigua mente modo Jovis injustitiam horret, modo deum venerari fas esse profitetur; — Mercurii Jovis mandata referentis verba primum comprobat; mox tamen, amore erga Prometheum ductus, ejusdem monita

(1) Quod imprimis de protagonista valet: conf. vs. 88—127. Vs. 197—241. Vs. 340—376. Vs. 434—469. Vs. 474—504. Vs. 702—743. Vs. 788—820. Vs. 825—878. Quibus addi possunt iis verba vs. 643—689 et Mercurii vs. 1009-1037.

(2) Hac de re egit Hermannus in comment. ad Cap. XI, 9, 10, p. 126—130.

Neque melius etiam, quamquam aliam ob caussam, auctor vitae Aeschyli de Promethei compositione censuit. Hic enim poëtam reprehendit, quod in quibusdam fabulis insolitum scenae splendorem, Deorum Dearumque partes, mira alia sectatus sit, sermones autem vere tragicos quodammodo neglexerit: *ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ διαφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν· γνῶμαι δὲ ἢ συμπάθειαι, ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων εἰς δάκρυα ἀγαγεῖν οὐ πάνυ· ταῖς τε γὰρ ὄψεσι καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπληξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται.* Conf. Bode p. 237 sqq.

parum curat: eodem fere modo, quo in *Sept. c. Theb.*, sub exitum item fabulae, alterum hemichorium populi decreto libere adversatur.

Porro Chorus, quod supra animadvertimus, modo solus cum protagonista relictus, ejus dicta prolicit, modo adstantibus aliis, interpellando sermones nectit vel protrahit.

Lyricorum denique carminum, quae poëta modulate variavit (1), argumenta a rebus proxime in scena gestis petita sunt. *Primo* cantu Chorus suum omniumque luctum, ex Promethei aerumnis perceptum, describit, aequitatem Jovis habens suspectam. Verum ubi Prometheum mira quaedam et incredibilia minitantem audit, minas ejus et clandestina consilia spernit, improbamque culpae expiandae rationem aversatur, ideoque supplex ad Jovem reversus pietatem et modestiam sibi precatur: quibus temere neglectis ex pristino felicitatis statu Prometheus deciderit et, frustra aliunde sibi praesidia quaerens, porro inops sit jaciturus (2). In quo illud etiam ad animos tangendos efficax est, quod Chorus recordatur hymenaei, quo quondam eundem Prometheum celebraverat (3), cujus mala nunc flebili elego deplorat.

---

(1) „Sie fesseln durch den Wechsel der ergreifendsten Rhythmen," Bernhardy l. l. p. 760.

(2) Convenit hoc carmen ex parte cum iis quae in Oed. Reg. leguntur vs. 863 sqq. ed. Herm.

(3) Veri simile est in prima trilogiae fabula, Prometheo Ignifero, ubi Oceanides etiam Chori partes egerunt (vs.

Tertium denique stasimon Chori sententiam, ex Iüs historia effectam, de vitando inaequali conjugio exprimit, et Jovis potentiam, quae effugi nequeat, celebrat: omninoque tam sermones ejus quam cantica ejusmodi sunt, quae sponte ampliorem dicendi materiem Prometheo suppeditent (1).

ORESTIA.

§. 5. Agamemnon.

Speculator, in excelsa aedium regiarum parte collocatus, assiduas queritur vigilias, dum flammarum signum exspectare debeat, quod, Troja expugnata, daturum se Agamemnon promiserat. Ecce vero, dum loquitur, sperata fax e longinquo exardescit, quod ille statim reginae nuntiare properat.

Intrant senes Argivi nobiles, qui, Clytaemnestram mane, ut soliti erant, salutaturi, in parodo virtutem Atridarum celebrant, quibus ducibus Graeci adversus Trojam profecti sint. Quam expeditionem, quamvis multis jam sociis calamitosa fuerit ejusque exitus in multos annos prorogetur, non tamen irritam fore arbitrantur, quum et Jove auctore suscepta sit neque Paris vio-

---

553 sqq.), nuptias Promethei cum Hermione fuisse contractas. Conf. Schneider Intr. ed. suae p. XXXVI sq.

(1) De personis Chori quot qualesque fuerint conff. virorum doctorum opiniones quas attulit Lindner l. l. p. 107.

lati hospitii poenas subterfugere ullo pacto possit. Quare fidenti animo se belli finem domi exspectare, quippe qui annis gravati itineris socii esse non potuissent.

Mox conspectis, quae in diversorum deorum aris pararentur, sacrificiis, Clytaemnestram hujus rei caussam interrogant; sed ubi sedulo in sacrorum procuratione occupatam vident, denuo canendi partes suscipiunt. Hoc autem ita se optime facturos suspicantur, si ea quae proficiscentibus quondam copiis acciderint repetere, et „*ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν*" describere instituant. — Itaque portentum illud feti leporis a duabus aquilis comesi memorant, quod sapiens vates Calchas sic interpretatus esset:

Χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ
Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος,
πάντα δὲ πυργων
κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ
μοῖρ' ἀλαπάξει πρὸς τὸ βίαιον (vs. 125 sqq).

Quamquam eundem vatem metuisse, ne Atridae (qui ambabus aquilis significantur) iram Dianae sibi contraherent et dea, aquilarum dapes aversata, ventis adversis exercitum sollicitatura esset, nefariumque effectura sacrificium „*νεικέων τέκτονα σύμφυτον, οὐ δεισήνορα.*"

Haec igitur Calchantis effata num talem eventum habitura sint, solum Jovem scire posse, qui mortales saepe suo damno sapere doceat. Sed ne Agamemnonem quidem liberum fore poenis,

quas Iphigeniae caede commeritus esset: qui, quum placandae Dianae rationem e Calchante audivisset, sociorum precibus suaeque ambitioni obsecutus impii sacrificii auctor exstitisset. Ex hoc facinore quae sint consecutura nec scire se nec dicere posse; vera tamen esse Calchantis verba autumant, verum item quod supra dixissent:

δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν
μαθεῖν ἐπιῤῥέπει τὸ μέλλον· —

seque regi, hanc poenam perpesso, in posterum bona faustaque omnia cum Clytaemnestra optare (vs. 40-250 ed. Schneid).

Inde iterum se ad reginam convertunt rogantes, acceptone an sperato tantum bono nuntio sacra faciat: itaque curiosis satisfactura Clytaemnestra victoriam superiore nocte reportatam cum iis communicat, et dubitantibus rationem accepti nuntii explicat: rebus autem tam prospere gestis, sperare se addit fore ut victores, deos Trojanos eorumque templa venerati, salvi et incolumes redeant neque ab aliis invicem vincantur (vs. 251-343).

Chorus verecundam reginae, quae jam aedes intrat, sententiam laudat novoque carmine gratias diis agere aggreditur. Trojae enim sortem considerans potentiam Jovis veneratur, quae praesentem calamitatem Paridis caussa Trojanis inflixerit et novo hoc exemplo declaraverit, nunquam deos scelus impunitum ferre, sed, quamvis sero, ultionem parare. Cui superûm vindictae — sic

pergit Chorus jam a proposito declinans — neque divitias neque omnium rerum affluentiam mederi; imo vero eos etiam, qui cum improbis societatem inierint, partem poenae sustinere (1). Sic Paridem, improba sectantem, patriae urbi perniciem struxisse, neque melius Helenam tam sibi quam suis civibus innumerabilia mala parasse. Quid enim? Ex illius perfidia cunctam Graeciam luctum percepisse: Menelaum profugae uxoris desiderio confectum, Argivos vero, eheu, etiamnunc crebros cognatos et familiares deflere, quorum cineres in patriam reportantur. Neque mirum dicit, si superstites graviter succenseant Agamemnoni, querentes quod unius mulieris gratia tot viros perdiderit. Gravis, inquit, res est civium invidia, gravis deorum serius ocius ulciscentium ira; ideoque ea tantum sors optanda, quae odio vacet, ne quis, aliis devictis, ipse sua vice victus occumbat.

Tandem Chorus ad allati nuntii rationem attendens, se veritatem ejus vehementer addubitare necdum praematuro gaudio cum Clytaemnestra indulgere velle fatetur (vs. 344-476). Regina contra paullo ante clam Choro reversa ejus dubitationes curasque reprehendit, affirmans se jam Nuntium aliquem conspicari, qui cito gradu properans mox ipsos de signo certiores redditurus sit.

(1) Contra Choëph. vs. 901 (ed. Klausen.):
κρατεῖται τὸ θεῖον παρὰ τὸ μὴ
ὑπουργεῖν πως κακοῖς.

Prodiens PRAECO, patria terra diisque salutatis, Agamemnonis adventum Choro annuntiat, ejusque sollicitudines, quas de absente rege habuisset, narrato felici rerum successu solatur. Quibus rationibus victus tandem Chorus primum Clytaemnestram, in interiore scenae parte versantem, invitat, ut propius veniens laetum nuntium accipiat, tum, illa rursus digressa, praeconem de Menelai reditu interrogat, quem postquam audivit, navibus naufragio disjectis, procul evanuisse. Chorus novo carmine Helenam, Menelai uxorem, communis mali auctorem celebrare aggreditur.

Nimis ex vero, inquit, nomen illi *Helénae* (ut ex ἑλεῖν et ναῦς) datum est, quae manifesto tot navium, virorum urbiumque perdendarum caussa exstitit. Nam pulchritudine formae ornatusque insignis, ubi prospero Favonii flatu maritum reliquit, navium ornatarum classe ad frondosas Simoëntis ripas expetita est. Sponsa Ilium venit, violata hospitii sanctitate; sed ira coelestium laetos parentum hymenaeos, sero quidem, sed graviter ulta est (1):

τραπέζας
ἀτίμωσιν ὑστέρῳ χρόνῳ

(1) Belgice ita exprimere tentavi:
'tSchenden van den gullen disch
En van Zeus altaren
Wrekend, na een reeks van jaren,
Aan de zangers die eens luid
't Loflied hadden aangeheven,
't Hoogtijdslied der nieuwe maagschap
Toegezongen aan de bruid.

καὶ ξυνεστίου Διός
πρασσομένα τὸ νυμφότιμον
μέλος ἐκφάτως τίοντας
ὑμέναιον, ὃς τότ' ἐπέῤῥεπεν
γαμβροῖσιν ἀείδειν. (vs. 687 sqq.)

Scilicet aedes Priami ingressa, mulier suavis et blanda, benigne excepta et paterno amore fota est; pro quibus beneficiis postea, gratiam referens, leonis instar misere in fautores saeviit] et Priami domum caede maculavit. Manifestum est, Jovis iram talem nuptiis imposuisse finem, quae novo exemplo doceret, scelus ex scelere oriri, maleficii poenam nec honore nec divitiis averti posse, justae tantum domui pulchram prolem nasci (vs. 669-760).

Jam prodit in scenam Agamemnon una cum Cassandra curru vectus, stipante comitum caterva, quem conspiciens Chorus ingenue nescire se profitetur, quibus ipsum verbis rite excipiat: quum neget se esse in eorum numero, qui per assentationem pro tempore gaudium luctumve prae se ferant; ambitionem autem, qua rex olim Helenae gratia tot viros in bellum duxerit, numquam sibi probari potuisse. Nihilominus regi se gratiam habere, quod strenue bellum finiverit, benivolumque ac fidelem se ei mansisse affirmat; quod ipsum postea, quum et ceterorum erga se animum cognoverit, optime intellecturum (vs. 761-787).

Agamemnon primum solemni more patriam terram salutat deosque compellat, quorum nu-

mine, re prospere gesta, incolumis redierit. Tum ad Chorum se convertens ejus mentem laudat, sententiaeque adstipulatur dicendo, multos alterius felicitati invidere, multos fictam prae se ferre amicitiam, quos tamen probe a reliquis dignoscere conaturus sit, quo praesentem, qua fruatur, fortunam stabiliorem reddat. Jam aedes introire cogitanti obviam venit Clytaemnestra, quae, amorem erga maritum simulans, qualem se eo absente gesserit amplo cantico describit, seque apud regem et Chorum excusat, quod Orestem peregre dimiserit. Quibus dictis, Agamemnonem e curru descendere, famulas autem ipsam comitantes pictos tapetes sternere jubet: quos quum ille, reprehensionem populi reveritus, calcare recuset, post levem altercationem, uxoris tandem precibus obsequitur. Digredientes Chorus, qui tacitus eorum sermonibus interfuit, cantu prosequitur:

Miratur, sibi quamquam invito Calchantis praesagium assidue animo obversari, neque hodie, quamvis suis oculis Agamemnonem reducem adspexerit, mentis tranquillitatem et fiduciam sibi esse redditam: residere etiamnunc imo pectore lugubrem illam, quae sopiri nequit, Erinnyis cantilenam:

τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅπως ὑμνῳδεῖ
θρῆνον Ἐριννὺς αὐτοδίδακτος ἔσωθεν
θυμός, οὐ τὸ πᾶν ἔχων
ἐλπίδος φίλον θράσος. (vs. 967 sqq.)

Quodsi procella aliqua praesentem felicitatem con-

turbatura sit, precatur, ut ne penitus pereat navis, sed bonorum parte per naufragium ejecta, ipsa ex undis salva emergat; utque imminens periculum opibus regis, non vitae immineat, cujus damnum irreparabile foret:

τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν θ' ἅπαξ θανάσιμον
προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα
τίς ἂν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων; (vs. 991 sqq.) (1).

Sed Cassandrae praesentia se prohiberi dicit, quominus sententiam suam fusius aperiat et ea, quae in praesens fortasse opportuna sint, eloquatur (vs. 953-1004). Clytaemnestra Cassandram quoque introire jubet, benigne adhortante Choro (vs. 1017 sqq. 1023 sq. 1032 sq.), qui, dum altera silet, altera irato animo domum ingreditur, per totum qui deinceps sequitur actum (vs. 1039-1315), fatidicae virgini solus adest, vaticinantem mirabundus audit, interrogat, miseratur, corrigit, admonet, primum incredulus, mox vero vaticiniis ejus territus; quorum veritatem, etsi ex parte infitiari nequeat, non plane tamen assequitur, neque de ipso Agamemnone interpretatur. Derepente vero intimis ex aedibus auditur semel iterumque vociferatio regis: quocirca choreutae consilium ineuntes, quid sibi agendum sit deliberant: alii civium auxilium implorandum, alii stricto gladio laboranti succurren-

(1) Similem sententiam profert Chorus in Eumen. vs. 249 sq. ed. Minckw.

δυσαγκόμιστον, παπαῖ,
τὸ διερὸν πέδῳ χύμενον οἴχεται.

dum, alii in rem inquirendum censent. harum sententiarum quae suffragiorum numero vicerat, choragus pronuntiat (vs. 1316-1344). Sed ecce, jam prodit Clytaemnestra, mariti caedem patefaciens et excusans: — in quam acriter invehitur Chorus, miserae mortem et exsilium minitans (vs. 1372 sq. 1380 sqq. 1400 sqq.); — adspectis cadaveribus mortem sibi flebiliter optat (vs. 1423-1429); — Helenae noxam repetit tot animis mortis caussam (vs. 1430-1436 et 1450-1456); — celebrat daemonem Tantalidarum aedibus assidue irascentem (vs. 1443-1449; — Jovis potentiam, qua omnia perficiantur, agnoscit (vs. 1463-1470); — amicum regem luget, indigne acerbissimo fato exstinctum (vs. 1471-1478 et 1495-1502); — occisi prolem vindicem implorat (vs. 1487-1492); — totius domus interitum veretur (vs. 1512-1518; — funus mortuo faciendum queritur (vs. 1519-1529 et 1546-1556); — necis vicem interfectoribus indicit (vs. 1539-1545). Quibus singulis singulas interserens strophas Clytaemnestra respondet.

Clytaemnestrae succedit Aegisthus, cui caede glorianti Chorus item justas poenas minatur (vs. 1602-1606); — superbientis nequitiam accusat (vs. 1615-1617); — intumescentem ironia perstringit (vs. 1623-1625); — Orestem ultorem promittit (vs. 1633-1638); — minanti gladium corripiens adversatur (vs. 1641, 1643). Sed conflictionem prohibet rediens in scenam Clytaemnestra, quae Chorum conti-

nenter minas et probra jactantem dimittit, Aegisthum secum introire jubet.

Senes Argivi nobiles — πρέσβος Ἀργείων — ut in *Persis* senes Persici, personam Chori sustinentes, protagonistae sunt subjuncti. Ferebat autem etiam hujus fabulae natura ut *senes* eligerentur, quippe qui — quod ipsi in parodo significant — ob aetatis et loci rationem ea, quae ad expeditionem pertinerent, optime nossent (1). Itaque omnia quae olim accidissent, Helenae fuga et iter in Trojam, Calchantis vaticinia, Iphigeniae caedes, argumenta sunt lyricorum cantuum, quae cum ipsa actione arctissime cohaerentia, Aeschyleo more, ample copioseque disposita sunt. Majores enim sunt *Argivorum* senum, quam *Persicorum* canendi vices; quamquam longe minor in Persis actio, minor item agentium personarum numerus est. Quae res, poëtae laudi potius quam vitio danda, ex ipsa dramatis natura repeti debet, cujus egregia partium dispositio magnopere a ceterarum fabularum simplicitate recedit. Ut enim in *Persis* et *Prometheo vincto* nullae sunt peripetiae, nulla sibi repugnantia consociantur, sed res plana, argumentum simplex, actio paene nulla: ita *Agamemnonis* fabula ingeniose est composita, actio maxima, fortunae conversio mirabilis.

(1) Conf. Uylenbroek, disp. p. 28, (ubi *Polyxenae* sacrificium irrepsit).

Argumentum non minus scenico ornatu, quam ipsa tractationis concinnitate se commendat.

Ad scenicum ornatum pertinent nocturna facium signa et excubiae, laetus victoriae nuntius, faces accensae, sacrificiorum apparatus, splendidissimus aulae ornatus, denique Agamemnonis, Asiatica praeda stipati, adventus: quorum omnium magnificentia vehementer spectatorum oculos animosque tangere debuit, reputantes ex interiore domo Justitiam jamdudum disparuisse:

τὰ χρυσόπαστ' ἐσθλὰ σὺν πίνῳ χερῶν
παλιντρόποισιν ὄμ-
μασι λιποῦσαν.

Sed multo admirabilior est concinnus partium ordo et poëtica argumenti tractatio, quae distinctis et oppositis personarum moribus, sermonum actionumque varietate, verborum et imaginum lumine, sententiarum *εἰρωνείᾳ* et ambiguitate unice se commendat.

Fabulae *οἰκονομία* pendet a totius trilogiae ratione, cujus haec partem efficit. *Agamemnon* primus quasi actus est Orestiae, mythi tripartiti, quem ita tractari oportuit ut actionis pondere et tragica vi gradatim cresceret: prima autem hujus mythi pars, Agamemnonis caedes, in priore fabulae parte ample copioseque implicatur, semel vero perpetrata praecipitem facit tragoediae exitum (1).

(1) Plane diversa est, ob eandem trilogiae rationem, fabulae *Sept. contra Theb.* dispositio. Haec enim, ultimam Oedipodiae partem constituens, principio quidem actuosa

Nihil autem aptius quam illustris ille actionis aditus, quo spectatores, praeteriti temporis fata respicientes, anxia eventus exspectatione solliciti, lento gradu ad culmen misericordiae perducuntur. Nihil pulchrius arte, qua Aeschylus complicationem tragoediae dilatavit, solutionem vero, simul ac coepta esset, quo vehementius spectantium animos diu obsessos percelleret, festinanter et atrociter, quasi uno ictu peragi voluit.

Ad hunc autem actionis praeparandae ordinem conducunt maxime Chori et Cassandrae partes, quibus modo ingravescit, modo suspenditur actio. In priore fabula Chorus assidue fere in divina Justitia praedicanda versatur, ad cujus laudes celebrandas singuli identidem actus materiem ei suppeditant. In parodo, fabulae materiem exponens, praeteritorum memoriam replicat, et e rebus antea actis, pro sapientia et pietate sua, imminens Trojae excidium auguratur, quod, quamvis in longum tempus prorogetur, tamen ex universa Justitiae lege aliquando evenire debeat: nam

τελεῖται ἐς τὸ πεπρωμένον·
οὔθ' ὑποκαίων οὔθ' ὑπολείβων
οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει. (vs. 68 sqq.)

Verum quum ita Chorus de hostibus censeat, et jure quidem, haud leviore cura propter Agamemnonem gravatur, quippe qui justas filiae

---

et varia est, sed, mytho soluto, naeniis fere lyricisque cantibus absolvitur.

immolatae poenas effugere non possit. Hoc regis delictum in pectore fovens continenter sollicitudinibus indulget, et animi sensa profert a festo apparatu et scenae splendore plane discrepantia.

Deinde accepto victoriae nuntio, secundo carmine Chorus Jovi quidem gratias agere ejusque potentiam in puniendis hostibus conspicuam celebrare incipit, sed mox denuo in tristes animi curas et cogitationes delabitur, hoc reputans:

οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις
πλούτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ
λακτίσαντι μεγάλα δίκας
βωμὸν, εἰς ἀφάνειαν. (vs. 373 sqq.)

Quum tale fuisset Agamemnonis factum, quumque insuper ambitione ductus multis, quos in Asiam duxisset, mortis caussa exstitisset, Chorus palam pronuntiat, se grave quid regi metuere:

μένει δ' ἀκοῦσαί τί μου
μέριμνα νυκτηρεφές.
Τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ
ἄσκοποι θεοί.
Κελαιναὶ δ' οὖν Ἐρινύες χρόνῳ
τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας,
παλιντυχῆ τριβᾷ βίου
τιθεῖσ' ἀμαυρόν. (vs. 448 sqq.)

Haec cogitatio tanta eum cura sollicitat, ut faustos de victoria rumores addubitet, eosque falso a diis dispersos credat.

Postquam vero certum a Praecone nuntium accepit, non, ut consentaneum erat, gaudio exsultat, sed

de Helenae perfidia flebiles fundit lamentationes, quibus de integro subjungit sententiam hanc, infelicis Ilii exemplo testatam:

Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν
δυσκάπνοις δώμασιν
τὸν δ' ἐναίσιμον τίει βίον. (vs. 752sqq.).

Porro Agamemnonem advenientem benigne quidem, sed moesto vultu salutat, neque judicium celat, quod de ejus temeritate et antea tulisset et hodie ferat. Post vero, eo aedes intrante, desperare se de ejus salute affirmat, neque calamitatem aliquam, sed necem tantum deprecari. (vs. 966 et 982 sqq.)

Hac mente animata et Calchantis oracula reminiscitur, et regis facinus damnat simul idemque conqueritur, et in communi laetitia scrupulum injicit spectatorum animis; quoque manifestior eorum oculis proponitur regis felicitas, eo flebiliores modos ipse canere instituit.

Videmus ergo Chorum firmo constantique animo (qualem personis suis tribuere solet Aeschylus) justitiam et pietatem laudare: videmus ejus *διάνοιαν*, ita expressam, ut qualem exitum habitura sit fabula statim agnoscatur: simul apparet *οἰκονομίας* Aeschyleae simplicitas, quatenus eorum, quae actionem praecedunt, praecipua pars Choro tribuitur (1). Jam incidit pulcherrimum illud Cassan-

(1) Quam diversa ratione, quantoque majore arte nodum implicat Sophocles, ex. gr. in *Electra*. Ibi scena identidem mutata, Paedagogi, Orestis, Electrae, Chori,

drae episodium, quo spectatores, suspicione sollicitati chorique sententiis perturbati, aliquamdiu metu suspensi tenentur, et ob insolitos virginis mores principio regis sortem fere obliviscuntur, postmodo tamen, auditis Cassandrae praesagiis, eam vehementius suspiciunt, dum falsis etiam Chori de Cassandra opinionibus anguntur (1).

Hactenus de cantibus melicis; attendamus jam ad *agendi* partes, quae cum in prima, tum maxime in postrema fabula, ubi perpetuis carminibus locus non erat, Choro tribuuntur. Quae item haud exiguae sunt. Vide, quanta libertate nunc Agamemnonem ovantem reprehendat, nunc consilium de ope afflicto ferenda ineat, nunc parricidam minis cumulet, et furenti Aegistho adversetur. Quod quidem munus, tritagonistae aptius tribuendum, Bernhardy hac definitione

---

Chrysothemidis, Clytaemnestrae sermones, summa cum venustate, variantur: Chorus rarius brevioresque cantus intercinit, et plerumque *sermones* facit vel aliorum sermonibus interloquitur: quae autem de futura Agamemnonis vindicta, paucis quidem locis, auguratur (vs. 151 sqq. ed. Both. vs. 162 sqq. vs. 448—476. vs. 791 sqq.), ea aut obscurius enuntiat, aut falso se perhibuisse postea ipse significat.

(1) Westrik in disput. de Aeschyli Choëph. etc. p. 89 sq.: «Scena illa Cassandrae et Chori sine dubio inter pulcher«rima Aeschyli loca referri debet. Quum eo usque omnia «comparata sint ad Agamemnonem efferendum, non statim «ad ejus caedem poëta progreditur; sed suspenditur actio. «Locus ille, quo anxietas et metus excitantur, et sensim «augentur, comparari potest cum alto silentio isto, quod «magnas coeli perturbationes, tonitrua fulguraque, et «terrae motus praecedere solet.» — Audis Berbicensem.

(jam supra allata) notavit: Chorus, inquit, ingenuum se liberumque praestat non ratione modo, qua ex anteactis rebus de praesentibus ratiocinatur, verum etiam facto et auxilio, quo huic illive agentium succurrit (1). Tandem Chorus, ut in Persis, singulos qui prodeunt histriones excipit, et Clytaemnestrae identidem decedentis vacuas vices explet: omninoque eum in compositione locum tenet, ut interventu suo diversorum actuum seriem, qui absque nodo, ut in epico carmine (2), sibi succedunt, vinculo quodam constringat. Et quamquam non assentior Viro docto dicenti, propter hunc partium choricarum ordinem, nostram fabulam optimam esse totius antiquitatis (3); nihilominus tamen de Agamemnone dici potest Ciceronis illud de Andromache Euripidis: „praeclarum carmen: est enim et rebus et verbis et modis lugubre (4).”

§. 6. Choëphori.

Orestes cum Pylade in patriam redux cincinnum in patris tumulo diis Manibus consecrat, et Mercurii auxilium ad recuperandum patrium regnum implorat. Supervenientem vero mulierum catervam conspicatus, interque has Electram,

(1) Grundr. II, 730. De duplici Chori in hac tragoedia munere conf. idem p. 773.

(2) Bernhardy l. l.: eine Sceuerie, die ohne Verflechtung im epischen Nacheinauder sich entwickelt — —

(3) Kabath. in Comment. supra laud. p. 19.

(4) Tusc. Disput. 3, 19.

paullulum cum amico recedit, quo melius quid agatur audiat (1).

Prodeunt MULIERES GRANDAEVAE (vs. 169 ed. Wellauer.), bello captae (vs. 75), atris vestibus indutae vs. 11), Electra duce inferias in sepulcrum Agamemnonis ferentes, quarum caussam chorico carmine explicant. Narrant Clytaemnestram, quum superiore nocte tetrum vidisset somnium, ex interpretum sententia a Manibus Agamemnonis immissum, libamina in tumulo fundenda ipsis demandasse. Quod munus, quamvis rite aggrediantur et luctum laniatis genis scissisque vestibus prae se ferant, invitas tamen se suscepisse, quum timeant vota pro salute ejus facere, quae, impia mariti caede perpetrata, regias aedes tristitia et luctu afflixisset. Sceleribus enim vindictam imminere, nec caedem, quae ultionem flagitet, aliter nisi caede placari posse. — His ultimo loco querelas adjiciunt de tristi sua sorte, quippe quae omnia probare debeant quae a domina perpetrentur, sive justa sive injusta sint, eoque se magis exstinctum Agamemnonem lugere quod ipsarum conditio, ab injustae reginae nutu pendens, admodum incerta ratione se habeat (vs. 22-81).

Mox Electrae incertae et haesitanti, quales preces quibusque verbis dicat, suadent, ut felicem Orestis reditum a diis precetur, oretque ut aliquando patris mortem ulciscendo amicis suis

(1) Eleganter hanc fabulam enarravit Westrik l. l., quem passim sum secutus.

salutem, hostibus vero justas poenas afferat (vs. 82-121).

Quod dum Electra facit et libamina solvit, hujus precibus preces subjungunt ipsae, luctum suum et vindictae desiderium testantes: „Eheu!" inquiunt, „quis est qui cominus eminusve pugnans domum regiam vindex restituat!" (vs. 122-161).

Inferiis peractis Electra redit concitato animo quod abscissum cincinnum in tumulo conspexerit, quem nemo praeter Orestem potuerit patris Manibus devovere: spem inde susceptam firmari sibi ait vestigiis pedis terrae impressis, sui pedis formam plane referentibus. Qua de re postquam Chorus dubitans Electram paullisper interrogavit (vs. 162-209), e recessu prodiens supervenit Orestes, se fratrem esse Electrae significat, idque ut dubitanti probet, κουρὰν ostendit et vestem profert, quam ab ipsa quondam Electra pictam dono acceperat. Quibus testimoniis convicta illa Orestem fratrem salutat deorumque auxilium implorat, Orestes autem per praesentem gentis suae calamitatem Jovem obtestatur, ut labantem Agamemnonis domum fulciat. His imprecationibus Chorus monita subdit, ne alta voce loquentes se suaque consilia inimicis prodant (vs. 262-266).

Audito vero Apollinis mandato, quo Orestes vindictam perpetrare coactus sit, ne sibi patriaeque iram deorum contraheret, Chorus in proximo actu, ubi Orestes et Electra alternis preces et obtestationes edunt, eorum strophas stropham

intercinit, qua suscipiendae vindictae consilium Oresti firmare studet (vs. 304-471). Parcas igitur orat, ut Jovis auctoritate justum rei eventum adducant, utque par pari referatur et caedes caede luatur:

ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
πληγὴν τινέτω· δράσαντι παθεῖν
τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ (vs. 310 sqq.).

Orestem autem modo describendo praesente luctu vel efferendis Agamemnonis laudibus incitare studet, dum sororis aegritudinem reditu fratris solatur eique paterni sanguinis poenas a liberis expetendas designat; — modo eundem, denuo animum despondentem, legis divinae admonet et lamentis precibusque hortatur, ut protinus vindictam aggrediatur.

Sic tandem firmatus Orestes matris caedem pronuntiat et cum Electra in sepulcro sedens, ut patri diisque inferis solemnem hymnum canat, faustis Chori precibus adjuvatur:

ἀλλὰ κλύοντες, μάκαρες χθόνιοι,
τῆςδε κατευχῆς πέμπετ' ἀρωγὴν
παισὶν προφρόνως ἐπὶ νίκην! (vs. 469 sqq.).

Postquam igitur fletu et naeniis patris memoriam honoravit, Orestes caussam anquirit quare Clytaemnestra inferias miserit: deinde somnium matris, ipsi a Choro narratum (vs. 507-532), tanquam omen accipiens, perpetrandae caedis rationem accurate cum Choro communicat, quem hortatur ut prudenter, prout res postulet, vel

sileat vel loquatur; ipsius certaminis faustique rei successus curam Apollini committit.

Oreste et Pylade ad rem parandam profectis et Electra regias aedes ingressa, Chorus hominum audaciam cantico celebrat, praesertim amoris vim omnia superantis et ad quaecunque facinora viam sternentis. Firmat hoc exemplo Althaeae Thestii filiae, quae ob fratrum necem filio suo Meleagro caussa mortis exstitisset, deinde Scyllae etiam facinus memorat, quae Minois amore capta ejusque donis corrupta, patri suo Niso capillum illum abstulisset, a quo ipsius vita erat suspensa. Inde se ad sceleratos Clytaemnestrae amores et scelus in maritum convertit, quod cum Lemniarum facinore comparat. Ultimo denique loco significat, diem tandem illuxisse, quo divina Justitia Agamemnonis filii manu ultionem paret (vs. 578-641).

Redit in scenam viatoris habitu sumto Orestes cum Pylade, et insidias, de quibus convenerat, exsequitur. Accedit ad fores regias, iisque apertis, simulatam Orestis mortem Clytaemnestrae nuntiat. Quo facto una cum ipsa aedes regias ingreditur; Chorus interim, jam propius instante certamine, Agamemnonis Manes Mercuriumque ad opem ferendam invocat (vs. 708-718). Mox vero *Gilissam*, Orestis nutricem, ex aedibus procedentem videns, mutato sermone, eam quo tendat, cur tristi adeo vultu prodeat, interrogat. Respondet nutrix se a domina missam esse ad Aegisthum arcessendum, ut nuntium de Orestis

morte ab hospitibus allatum apertius et certius ab ipsis resciseeret. Chorus autem Orestis moniti (vs. 575) memor, postquam audivit Clytaemnestram jussisse Aegisthum cum armatis venire, nutricem monet ne hanc mandati partem exsequatur; quod quo magis vetulae persuadeat, neque periisse Orestem nec rem desperatam esse subobscure significat: quibus monitis Gilissa obsecutura discedit (vs. 723-771).

Jam magis magisque imminente periculo, sequitur canticum, quo Chorus solemni modo deorum auxilium implorat. Primum igitur ad Jovem Olympium se convertit, ab eoque precatur, ut Orestem, ἀνδρὸς φίλον πῶλον, inimicis suis anteponat. Tum deos Penates obtestatur ne, post Agamemnonis ultionem, inveterata caedes novas in posterum caedes pariat. Apollinem deinde et Mercurium affatur, eosque rogat, ut Oresti victoriam tribuant imperiumque paternum restituant. Ultimo denique loco Orestem adhortatur, ut patris interfectoribus non parcat, sed caedis unice memor, forti et constanti animo ultionem persequatur (vs. 772-824).

Nuntio de Orestis morte accepto, nec tamen satis ei fidem habens, advenit Aegisthus, incertus an vere obiisset, simul metuens, ne ejusmodi rumor civium suspicionem odiumque excitet. Quare a Choro admonitus (vs. 835-837) rem ab ipsis hospitibus sciscitari statuit.

Jam re in summum periculum adducta, Chorus

anxiô et perturbato animo iterum ad preces se convertit, Jovique certaminis curam committit: nunc enim necesse esse, vel ut domus Agamemnonis penitus intereat, vel ut civitas libertatem recuperet et Orestes patris opes legitimumque imperium recipiat (vs. 842-855).

Mox vero Aegisthi intra aedes percussi audiuntur clamores, et dum Chorus, ut ab horum malorum culpa immunis esse videatur (vs. 857-861), paullulum recedit, prorumpit Famulus et ad gynaeconitidem festinat, ut reginae perpetratum facinus nuntiet. Clytaemnestra prodiens jam agnoscit insidias seque gladio defendere cogitat; sed irruentis filii vultu territa ab hoc consilio desistit et precibus Orestem delinire conatur. Frustra: post vehementissimam enim altercationem a Pylade divinorum oraculorum admonitus, matrem ille intro ad necem rapit.

Itaque scena denuo deserta, Chorus tertio carmine Agamemnonis ultionem celebrat, et pro futura Orestis felicitate precatus, eum duplicem caedem, auctore Apolline, adjuvante Justitia Jovis filia, rite perpetrasse declarat. Ultimo loco significat domum Agamemnoniam jam satis diu cladibus afflictam jacuisse, et tandem illuxisse diem, quo tot malis liberari debeat (vs. 919-966).

Jam aedium fores panduntur et in lecto Clytaemnestrae Aegisthique cadavera conspiciuntur. Procedit Orestes et acerbe eorum scelera et justam necem exagitat; seque jure matrem occidisse,

Soli omnia videnti populoque Argivo testatur. Chorus autem, malorum atrocitate perterritus, fortunae Orestis ingemiscit, cui ne nunc quidem, quamvis vivo et victori, vita et victoria gaudere liceat (vs. 1001-1004). Solari tamen ejus dolorem studet monendo, solemni facinoris aestimatione molestias depelli posse (vs. 1013-1016), eumque bene fecisse, quod Argivam terram a duobus draconibus liberasset (vs. 1040-1043).

Sed maternae caedis conscientia magis magisque exagitatum frustra Chorus solatur (vs. 1051 sq.), frustra pietatis, quam erga patrem ostendisset, et victoriae reportatae admonet (vs. 1047 sq.), frustra denique paternas aedes intrare ibique scelus expiare jubet (vs. 1055 sq.): Orestes domo, unde Furias se insectantes videt, profugus Delphos petit Apollinem supplex aditurus. Huic igitur deo Chorus parricidam committit quem votis prosequitur (vs. 1059-1072), et variis aedium regiarum calamitatibus recensitis dubitat, utrum Orestem harum liberatorem an potius novi sceleris auctorem dicere debeat, neque malorum finem invenit:

> ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει
> μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;

Nulla profecto est fabula, in qua Aeschylus Chori partes concinnius et propius ad Sophocleam normam descripserit. Omitto enim universum

illud Chori officium secundum Aristotelis praeceptum: *τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι:* hoc enim in omnes Aeschyli Choros quadrat. Sed sive *actionem* ejus attendas, est illa minor quam in plerisque fabulis potestque jure Chorus *κηδευτὴς ἄπρακτος* appellari: sive *lyricas* partes spectes, carmina proposito conducunt, et reliquis concinniora et breviora sunt: sive denique *animi sensa* animadvertas, Chorus protagonistae favet et consiliatur amicis, vel — ut Aristoteles scribit — *εὔνοιαν μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν.*

Ratio ejus ex argumento explicanda est. Argumentum est Agamemnoniae caedis ultio interfectoribus ejus illata. Haec autem ultio exigi non potest, nisi ipse mortuus auxilietur. Qui quum obtruncatione et inhonesto sepulcro in ignominiam redactus sit (1) et nihil valeat nisi ut somniis Clytaemnestram terreat, solemnibus inferiis honorari, et amissam auctoritatem recuperare debet. Ab altera vero parte Clytaemnestrae etiam libamina, somnii expiandi gratia, requiruntur. Quid igitur poëta? Utrumque sepulcrale munus scite eisdem personis injunxit, idque quo gravius esset atque solemnius, non Electrae soli mandavit, sed Choëphorarum comitatum ei addidit, quae simul Chori munere fungerentur (2). Harum

(1) Klausen in Ed. Choëph. p. XVII.

(2) Conf. Uylenbroek in dissert. de Choro trag. p. 12.

mulierum Chorus egregie cum ceteris tragoediae partibus convenit. Nam ut in superiore fabula regii splendoris fastigium, ita h. l. summus aulae Agamemnoniae luctus conspicitur: scena non tapetibus strata laetoque sacrificiorum apparatu insignis, sed sepulcro Agamemnonis instructa; actorum partes neque regiae neque splendidae: Orestes tristi habitu supplicis instar patris tumulo insidet; Electra demisso animo patrem orans matris impietatem ab se deprecatur; Clytaemnestra metu perculsa et suspensa; Gilissa anus miseriis afflicta; ita omnium fere actorum partes sinistrae sunt et ad tristitiam comparatae. Talibus personis quosnam choreutas aptius poëta addidisset quam *αἰχμαλωτίδας* illas, Trojani belli captivas, quarum servilis conditio (1) inclyti regis fortitudinem in memoriam spectatorum revocabat.

Praeterea, si externam speciem omittamus, eaedem omnium aptissimae sunt partibus, quas

(1) Ex verbis Scholiastae ap. Sophoclem Aj. vs. 134 — *πιθανῶς αὐτῷ ὁ χορὸς ἐσκεύασται ἀπὸ Σαλαμινίων ἀνδρῶν, τοῦτο μὲν παῤῥησιαζομένων, ὡς ἐλευθέρων, τοῦτο δὲ συμπαθῶς ἐχόντων, ὡς πολιτῶν, καὶ αἰδημόνως λαλούντων, ὡς ὑπηκόων* — efficienda non est, quantum equidem video, sententia quam inde effecit Uylenbroek, dissert. p. 10 sq. sic scribens: «Dicit enim Chorum agere perso«nas *liberas ut gaudeant plena dicendi libertate*, easque *cives* «propter *συμπάθειαν*, et *subditos* propter modestiam. — — «Haec definitio tam perspicua est ut explicatione non in«digeat.» — Credo Scholiastam dicere Chorum e Salaminiis viris constitisse, *qui libere loquebantur quippe liberi*, etc.

mythi ratio a Choro postulat. Scil. Oresti paternae caedis ultionem paranti opus est sociis quibusdam, qui poenae sumendae desiderio flagrantes, ejus exigendae viam ipsi muniant, quorum monitis insidias suas prudenter instruat, quique ipsum, quoties animum despondeat, exhortationibus suis ad agendum excitent. Hoc triplici munere vide quam rite fungantur. Pro precibus quibus placari possit Manium ira, proferunt ea quae hanc iram magis excitent — descriptionem miserrimae aedium conditionis. Itaque jam nunc id quod pro salute sua instituit Clytaemnestra, in ejus damnum vergere incipit (1).

Deinde consilium suppeditant inferias matris nomine missas pro fratris fausto reditu offerendi (2). Quibus inferiis quum auctoritas restituatur Agamemnoni, tum precibus Electrae et Chori prosper rei successus satis praeparatur.

Neque haec verba *definitionem* dixerim «cujus veritas in superstitum fabularum Choris exploranda est.» Spectant potius unum Ajacis Chorum et ἐν παρέργῳ dicta sunt, definitio autem illa tota pervertitur, nisi multas exceptiones feceris: neque omnino ea indigemus quum e cujusque argumenti natura persona Chori explicari debeat. Sic h. l. *famulae* quidem agunt (quamquam *servitutem* illam non nimis etiam urgere velim: nam αἰχμαλωτίδες nostrae, sicut Phrynichi *Phoenissae* et *Troades* ap. Eur. nobiliore loco natae sunt), sed fabulae ratio nihil impedit quominus libere agant, ingenuumque animum ubivis prae se ferant.

(1) Conf. Klausen in Comm.

(2) Minus recte hac de re Mueller in fine p. 102.

Itaque Oreste sicut optaverant reverso, Chorus hortantis, consolantis, instigantis partes tuetur (1), idque quibus rationibus, quo successu faciat supra jam recensuimus. Quod quidem munus, a Westrikio (2) minus animadversum, merito tanquam primarium notavit Bernhardy (3).

Denique Oresti jam caedem molienti interiorem aedium conditionem aperit, ejusque insidiis favet tum in diverbio cum Nutrice vs. 759, tum eo quod Aegistho haesitanti persuadet ut aedes ingrediatur, vs. 835. Quibus locis quantopere *famularum* partes *κατὰ τὸ εἰκὸς* — ne dicam *κατὰ τὸ ἀναγκαῖον* — adhibitae sint, nemo est quin videat.

Hactenus de actione Chori: de carminibus brevi absolvamus. Sunt ea numero quatuor,

(1) Cf. Bamb. ad vs. 298—459 ed. suae.

(2) Dissert. Cap. 3, p. 155. Idem praeterea p. 152 sqq. Orestis mores, a Klauseno et Bambergero diversissime quoque descriptos, vehementiores et fortiores expressit quam revera sunt. — Quodsi «impigrum et fortem, in ipso juventutis flore, ferocem et audacem, inauditum facinus aggressurum, neque tamen illud perpetrare dubitantem,» si talem esse Aeschyleum Orestem Westrikio adsentiris, cum eo quoque facies ubi frequentes Chori ad deos preces longosque cantus carpit.

(3) Grundr. p. 730. Wenn nun gleichwohl seine Person nicht ueberall eingreift, oder ein bedeutendes Gewicht in die Wagschalen des dialektischen Prozesses wirft, vielmehr den Charakter des Protagonisten abschattet (*Prom.*), *oder mit seinen Planen sich verbuendet und ihn durch eifrigen Zuspruch foerdert* (*Choëph.*), so liegt doch durchweg in seinen Reden und Gesaengen ein idealisches Motiv.

neque admodum prolixa et argumento cum episodiis arctissime conjuncta. Elegans est parodi ratio, quam supra me tangere memini. Primum stasimon post digressum Orestem incidit vs. 578, et sceleris atrocitatem a Clytaemnestra commissi una cum poenis divinae Justitiae solvendis describit. *Τριγέρων* enim *μῦθος* „*δράσαντι παθεῖν*," qui toties in Agamemnonis canticis resonat, Choëphorarum etiam cantu identidem celebratur. — Tum vs. 772, Chorus Gilissam votis prosequitur Aegisthique adventum exspectat. Tandem, scena tertium deserta, infandos matris a filio percussae clamores quodammodo tegit atque emollit faustis precibus pro Orestis atque aedium regiarum incolumitate.

§. 7. Eumenides.

In prologo (vs. 1-63 ed. Minckw.) Pythia venerata deos, quorum numina in oraculorum praefatione invocare solebat, inprimis Apollinem celebrat, qui, de inculta Phocide bene promeritus, et incolarum patronus exstiterit et fatidica arte Jovis mentem consulentibus pandat. Precibus rite peractis, eos qui responsa petere cupiant sortito accedere jubet, dum ipsa templum ingreditur.

Mox vero in scenam redit improvisi spectaculi terrore attonita, quum intus adspexerit hominem recenti caede maculatum; suppliciter in sede mar-

morea sedentem, et ex adverso tetram mulierum cohortem, quae adspectu horrendae, somno sopitae, in sellis sedent et impuro halitu viroque, quod ex ore emittunt, sanctam Apollinis aedem contaminant. Auspicato deus interventu suo incertam sollicitamque virginis mentem solatur. Apollo enim supplicem Orestem promissis et monitis confirmat, eique suadet, inter somnum Furiarum, Mercurio duce, Athenas aufugiat, ubi, caussa ad idoneos judices delata, tam sua quam Minervae opera, faustum judicii exitum sperare possit. Ad quae pauca respondens Orestes de scena decedit (vs. 64-87).

Furiae sensim paullatimque per Clytaemnestrae εἴδωλον, quod in scena obambulat, somno excutiuntur (vs. 94-137). Sed quum Orestem non amplius cernant eumque, dormientibus ipsis, elapsum audiant, vehementi dolore afflictae Apollinis iniquitatem queruntur, qui, antiquarum dearum numine laeso, ne parricidae quidem scelere templum suum polluere veritus esset (vs. 138-167). Deinde foris propulsatae minisque et conviciis Apollinis percitae, hunc acriter exagitant totiusque rei auctorem et suasorem pronuntiant, qui et parricidium oraculo jussisset et parricidae patrocinetur: se tamen Orestem, quamvis elapsum, non prius missuras, quam materni sanguinis poenam luisset (vs. 168-220). — Contra Apollo ad eum tuendum discedit.

Jam, mutata scena, Orestes Athenis in templo Minervae conspicitur deae simulacrum am-

plexu tenens ejusque auxilium implorans. Procedunt e longinquo Furiae, quae chorego duce parricidam investigantes, inventum obsident et exsecrabili carmine exposcunt (vs. 233-262). Gaudent enim, quod eum jam diligenter custodire possint poenasque ei minitantur gravissimas. Frustra sceleratum Minervae auxilium invocare, neque fas esse eum qui matris caede se polluerit facinoris sui arbitros poscere, quum certissimum sit, quemque impietatis sive in deum sive in hospitem sive in parentes commissae justas poenas luiturum: itaque Orestem in ipsarum potestatem traditum saeviter periturum, neque mortuum in Orco cruciatibus liberum fore:

Μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν,
ἔνερθε χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ᾽ ἐπωπᾷ φρενί (vs. 260 sqq.).

Sed Orestes ne verbo quidem apud illas se excusans iteratas ad Minervam preces tollit deaeque, supplicantium patronae, suum et omnium Argivorum amorem pollicetur fidelem et sempiternum.

Silentium Orestis et fidem, quam Apollinis monitis et futuro Minervae judicio habeat, graviter indignatae Furiae denuo miserum diris angunt et lugubri carmine devovent.

Negant vel ab Apolline vel a Minerva liberari posse eum, qui propter impium facinus ipsis consecratus sit. Sui enim muneris esse ut, justitiae

leges tuentes, pie sancteque viventibus parcant; qui vero caede se polluerint, eos assidua vindicta persequantur. Ideo matrem Noctem se nunc obtestari, quod Apollo, sceleratum debito supplicio eripiens, ipsarum potestatem infringere non vereatur. Parcam enim votiva sibi carmina dedisse, quibus impios ad mortem usque insectentur; seque superum honoribus destitutas et ab eorum societate remotas, triste domos evertendi munus accepisse idque tanta religione exsequi, ut ne fortissimo quidem mortalium parcant. Se precibus hominum invocari et deorum partibus fungi, nempe sanctissimo vindictae munere, eoque contumeliam compensari qua Jupiter ipsas affecisset, tanquam impuras a coelestium societate arcens. Terram igitur pervagantes impios se insectando fatigare et gravem iis perniciem struere: quemcunque enim adeant, ei honorem et famam perire et domum caligine offusam gemitu impleri. — Quis igitur mortalium ipsarum numen nullis flectendum precibus haud revereatur? Quis honores deneget iis quarum munus divinitus sit sancitum, etiamsi invisas et obscuras sedes inhabitent? (vs. 286-360)

Interim progressa in scenam MINERVA, et Furiarum aeque atque Orestis praesentiam admirata, utrosque qui et quales sint exponere jubet.

Narrant Furiae genus suum et officii, quod sustinent, rationem: sciscitanti deae significant quo jure huncce supplicem persequantur: jussa divina

non esse idoneam parricidii caussam, neque illum jurejurando rem decernere velle: itaque se criminis judicium Minervae committere (vs. 361-399).

Tum Orestes etiam loqui jussus suscepti facinoris rationem deae explicat judiciumque ei mandat. Sic ab utrisque partibus invocata Minerva rem molestam et dubiam juratis judicibus tradere statuit, quibus in posterum rerum capitalium discrimen mandet, monetque litigantes ut, priusquam judices conveniant, quisque sibi testes et praesidia quaerant (vs. 400-453). — Unde novum carmen choricum (vs. 454-493) et Apollinis in jure praesentia explicantur.

Augurantur enim Furiae, si Orestes absolvatur, fore ut, antiquis legibus eversis novisque introductis, mala ex malis oriantur. Nam ipsarum potentia et auctoritate sublata, neminem amplius futurum, qui facinora mulctet et homines a malis absterreat. Metum autem hominibus salubrem esse, quo si careant, mortales justam degere vitam non posse. Commendant igitur Furiae vitam legibus temperatam; licentiam vero aeque ac tyrannidem aversandam esse demonstrant. Jus et justitiam si colant homines, si parentes honorent, hospites pie excipiant, felices futuros neque unquam prorsus infelices esse posse; injustum vero, tametsi diu scelera exerceat fortunatus et impunis, tandem aliquando miseriis victum iri et deorum ultione eo adactum, ut

sine ulla misericordia et ab omnibus desertus intereat (1).

Scena iterum mutata, Minerva cum selectis judicibus conspicitur, quae per praeconem populum silere et Furias primum verba facere jubet. (Praecedit levis Furiarum cum Apolline altercatio, qui subito adstans et quid ea caussa ad ipsum pertineat rogatus respondet, pariter se et tanquam reum et tanquam testem venire.) Jam Orestem Chorus concise de caedis veritate, ratione, auctore, coram judicibus interrogat (vs. 502-541); Apollini, qui Orestis ad angustias adducti partes tuetur, argumentis et quaestionibus adversatur, et caussae suae justitia fretus concludit dicendo, eum frustra Oresti favere, quem constet, tali facinore perpetrato, rite in patria Argivorum sede vivere non posse (vs. 542-602).

Tandem postquam Apollo supplicem deae commendavit, et Agamemnonis mortem graviorem quam Clytaemnestrae fuisse, imo patrem proprie filii parentem esse ipsius Minervae ortu docuit, dea rem satis exploratam esse significat et judices suffragia ferre jubens pronuntiat, se sancto huic Areopagitarum consilio rerum capitalium judicium in omne tempus committere.

Sortes in sitellam conjiciuntur: dum Apollo et Furiae judicum animos, hae minis, ille Jovis auctoritate, sollicitare pergunt. Ultima calculum

(1) Ita recte argumentum hujus carminis adumbravit J. Minckwitz in Comment. p. 144 sq.

adjicit Minerva; deinde inquietis et suspensis ambarum partium animis, suffragiorum numeratione inita, pronunciatur sententia, qua absolvitur Orestes; absolutus diis fautoribus gratias agit, sempiternam amicitiam Atticae incolis jurat, eosque salutans domum proficiscitur (vs. 603-705).

Sed Furiae potentiam sibi ablatam conquerentes, ab Atheniensium terra injuriae poenas exigere constituunt: assiduis tamen Minervae monitis tandem victae accipiunt ejus promissa: fore, ut ira sua in benivolentiam conversa suave *Eumenidum* nomen et templum et sacra solemnia ab Atticis accipiant. Itaque, votis pro civium salute factis, abeunte Minerva, in sedes sibi destinatas deducuntur a POMPA MULIERUM, quae, faces accensas gerentes, laetis modis sortem celebrant quam dii urbi parassent (vs. 706-944).

Poëta quum docere vellet homines interdum talibus se implicare malis, e quibus deorum tantum interventu expediri possint, Orestem nobis proposuit, qui „facto pius et sceleratus eodem" supplicio divinitus absolveretur.

Itaque hac fabula Orestiae tanquam fastigium impositurus, Aeschylus ab una parte Orestis sortem atrocitate omnia superantem, ab altera vero sapientiam divinam calamitatibus medentem, splendidissimo exemplo exhibuit.

Furiae cultu, verbis, studiis Apollini et Miner-

vae oppositae, moralem, quae dicitur, personam tuentur: parricidam ex officio persequuntur, angunt, exposcunt et jus suum flagitantes probra et minas in ejus defensores conjiciunt. Earum partibus, tam lyricis, quam epicis, omnis actionis tragicae omnisque concitatioris animorum motûs principium continetur (1).

Itaque potiore loco sunt et majores agendi partes sustinent quam ipse protagonista Orestes (2): qui quum personam supplicis et sordidati tueatur seque totum Apollini in clientelam dicaverit, Furiae huic deo perpetuo adversantur, ejus auctoritatem infringere student, iniquitatem exprobrant, promissis, quae in Areopago facit, iram suam et diras opponunt.

Cum actione Chori valde conspirant lyrica carmina, quorum priora quidem ad argumentum fabulae solum pertinent (veluti *κομματικά* illa quae vs. 138 sqq. et vs. 242 sqq. leguntur, parodus quae vs. 294, et *ὕμνος δέσμιος* qui vs. 309 incipit), reliqua tamen et cum argumento aptissime cohaerent, et gravissimo quod poëta sibi proposuit consilio egregie inserviunt. Sicut enim in *Apollinis* et *Orestis* partibus (vs. 595 sqq. et vs. 274,

(1) Idem obtinet in *Supplicum* Choro: sed Danai filiae primas agunt suntque revera supplices, qualis h. l. Orestes, quibus siquis opponeretur opponerentur Aegyptiades.

(2) — «quum primas partes Orestes tenere debeat, omnia tamen ad eum finem convenire videntur, ut Furiae potiore loco sint.» — verba Hermanni de trag. et ep. poësi comm. XXX ed. Aristot. Poët. 169.

682 sqq.) societatem cum Argivis modo initam celebrat et *Minervae* ore cives ad antiquorum institutorum inprimis Areopagi auctoritatem pie reverendam hortatur (vs. 434 sqq. et vs. 609 sqq.), ita in carminibus lyricis ad interiorem reipublicae rationem attendens, civium licentiam carpit et modestiam justitiamque summis laudibus effert. Quid sublimius graviusque sensibus illis, quos sollicito animo effert poëta patriae amantissimus? Quo modo aptius potuit concussae reipublicae ruinam augurari, vel acerbius popularium mores notare, quam nobilissimo hoc Eumenidum carmine: *Νῦν καταστροφαὶ νέων θεσμίων κ. τ. λ.* (vs. 454)? Scilicet exciderat ex Atheniensium pectoribus prisci aevi simplicitas illa atque severitas, quam in iis desiderabat Aeschylus, quam ipse ardenter colebat, in qua patriae salutem positam censebat:

Μήτ' ἄναρκτον οὖν βίον, μήτε δεσποτούμενον
αἰνέσῃς· παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν·
ἄλλ' ἄλλᾳ δ' ἐφορεύει.
ξύμμετρον δ' ἔπος λέγω·
δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως· ἐκ δ' ὑγιείας
φρενῶν ὁ πᾶσιν φίλος καὶ πολύευκτος ὄλβος.
ἐς τὸ πᾶν δέ τοι λέγω· βωμὸν αἴδεσαι Δίκας
μηδέ νιν κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς·
ποινὰ γὰρ ἐπέσται·
κύριον μένει τέλος. (vs. 472 sqq.)

Similiter in ultimo stasimo vs. 834 sqq. felicitatem describit, qua terra diis grata fruitur;

deprecatur intestina bella, civium concordiam suadet, sapientiam praedicat, cui si studeant cives summi numinis gratia nunquam sint carituri. Ut verbo dicam, Aeschylus ita omnia composuit ad Atheniensium rempublicam, ut credas fere ei propositum fuisse, hac fabula docere: iras et rixas civibus eodem pacto esse deponendas, quo Furiae ferociam suam deposuissent (1).

Habemus igitur, ut sententiam nostram absolvamus, Chorum protagonistae moribus egregie oppositum (2), qui gravissimis fungitur agendi partibus, carmina canit, quorum summa est vis et concinnitas, quique externo habitu et ornatu talis erat, ut, licet vera non sint et e Rhetorum scholis fluxerint quae de ejus prodeundi ratione narrantur (3), summo certe horrore spectantium animos concutere debuerit.

Tandem animadverto, Aeschyli prorsus ingenium referre rationem illam, qua mulieres πρόπομποι exeunte fabula in scenam prodeunt et quasi alte-

---

(1) De politicis Aeschyli sententiis et Athenarum conditione conf. Mueller. Eum. 2[ae] comment. p. 115 sqq. — Placandarum Furiarum rationem argumentum fabulae esse ex solo *Eumenidum* nomine patet, de quo praeter hypothesin fabulae conf. Hermanni in Recens. Eum. Muell. Opuscc. VI, 117 sqq.

(2) Plane contraria ratio obtinet in *Sept. contra Theb.* et *Prom. vincto.*

(3) Conf. Bernh. p. 744. et omnino Hermanni de Chor. Eum. diss. 1[a]. Opuscc. VI, 128. De XV Furiis conf. idem p. 124 sqq.

rius Chori vicibus funguntur: quale duplex choreutarum genus in aliis etiam fabulis obtinuisse, minus tamen perspicuas ob rationes, viri docti existimant (1).

(1) Conf. Henrici Lindner de Choro in Eumenidibus comment. l. l. p. 113. Sunt qui ejusmodi quid in *Oedipo Coloneo* suspicentur. Certior quidem ratio est *Oedipi Regis*; in hac enim fabula rex diserte jubet Sacerdotes cum Supplicum grege discedere vs. 142, dum alium dimittit ad concionem populi Thebani convocandam, vs. 144. — Chorus *senum Thebanorum* jam accedit vs. 151.

CONCLUSIO.

Ex iis, quae de Choro Aeschyleo fusius disseruimus, haec nascitur conclusio:

1. Poëtam Chori rationem et partes in singulis tragoediis variasse, accommodate ad trilogiae formam qua continebantur.

2. In antiquioribus ejus fabulis Chori dispositionem simpliciorem esse quam in recentioribus.

3. Chorum constare personis, quae ingenuam liberamque mentem prae se ferunt.

4. Chorum *actoris* partes sustinere, easque majores esse in *Persis*, *Supplicibus* et *Eumenidibus*, quam in reliquis fabulis.

5. Ex actoris munere, quod Aeschylus Choro constanter injunxit, sequi, choreutas tales, quales prodeunt, argumento esse aptissimos et ipsa compositione fabulae postulari.

6. In *Supplicibus* et *Eumenidibus* Chorum personam moralem tueri, in *Persis* maximis

agendi partibus fungi; in hac autem fabula ut et in *Supplicibus* actionem cantibus lyricis contineri; in *Eumenidibus* non solum cantibus, sed concinnis etiam sermonibus.

7. Thebaidum in *Septem contra Thebas*, et Oceanidum in *Prometheo vincto* partibus protagonistae mores eminentiores reddi; utroque loco Chorum deuteragonistae (Sophoclei) munere fungi; in illa fabula cantica, in hac sermones frequentari; in illa argumentum fabulae choricis carminibus admodum variari, in hac variari quoque filum fabulae, sed canendi opportunitatem paene deesse.

8. Senum in *Agamemnone* mores ab argumento fabulae prorsus discrepare, et opponi Clytaemnestrae Aegisthique moribus; choreutas illos prolixis carminibus actionem praeparare; post solutionem dramatis graves agendi partes suscipere; omninoque interventu suo diversos, qui sibi invicem succedunt, actus, quasi vinculo inter se connectere.

9. *Choëphorarum* Chorum rei gerendae auctorem et consuasorem esse.

10. Chorum vel exordium fabulae facere, vel paullo post exordium prodire; eum in *Persis* et *Supplicibus* *προλογίζειν*; in reliquis fabulis vel praeterita repetendo (*Agam.*), vel praesentia describendo (*Sept. c. Theb.*, *Choëph.*, *Eumen.*) ea, quae spectatoribus jam explicita sunt, amplificare. Sed hoc explicandi munere eum non fungi, nec fungi posse in *Prometheo.*

11. Prologum illum plerumque constare ampla parodo, praeter κομματικά in *Eumenidibus*, quae edit Chorus primum prodiens vs. 138-167.

12. Praemonitis iis quae ad dramatis intellectum faciebant, vel choregum cum secundarum vel tertiarum actore colloquia jungere (*Pers.*, *Suppl.*, *Agam.*, *Choëph.*, *Eumen.*), vel Chorum per strophas et antistrophas cum protagonista colloqui, ita tamen, ut Chori dux sermonis vices mox solus recipiat (*Prom. vinct.*, *Sept. c. Theb.*).

Caeterum semper fere Chorum vel excipere actores primum prodeuntes, vel ab iis primum compellari.

13. In *Supplicibus* et *Eumenidibus* Chorum primas, in *Persis* primis proximas *colloquendi* partes agere; sed *Persarum* et *Supplicum* compositionem magis lyricam, episodia minus concinna esse: Chorum et concitatiores numeros atque κομμούς frequentare (*Pers.* vs. 252-281; 680-688; 873-1033. *Suppl.* vs. 805-886; 944-952), et sermonibus cantum immiscere (*Suppl.* vs. 343-432; 715-744).

In *Eumenidibus* contra Chorum concise loqui, et κομματικά, quibus in actores invehitur, summa vi tragica valere (vs. 138-167; 242-272; 757-798).

14. In reliquis fabulis Chorum sermocinandi munere fungi, quotiescumque histriones deficiunt: ita, ut modo plures choreutae commotioris animi sensa lyricis modis exprimant (*Sept. c. Theb.* vs. 659-690. *Agam.* vs. 1090-1150; 1380-1663.

Choëph. vs. 1001-1016); modo choregus trimetro jambico sermones enuntiet (*Sept. c. Theb.* vs. 694-701; 774-802. *Prom.* vs. 434-523; 909-945. *Agam.* vs. 491-574; 601-668; 1039-1089; 1151-1303. *Choëph.* vs. 162-209; 723-771; 825-841; 1047-1058).

15. Actorum etiam sermonibus Chorum se immiscere, vel ut commoveri se ostendat iis quae in scena aguntur (*Prom.* vs. 690-697), vel ut cantibus suis rei gerendae velificetur (*Sept. c. Theb.* vs. 357-612. *Choëph.* vs. 304-577), vel ut prudentiae modestiaeque partes tueatur (*Pers.* vs. 773-785. *Prom.* 1038-1041. *Choëph.* vs. 262-266), vel denique ut actorum sermones proliciat (*Prom.* vs. 560-888).

16. Chorum ab actoribus interdum ad partes vocari et eorum jussu preces pro prospero rerum exitu fundere (*Pers.* vs. 620-666. *Choëph.* vs. 150-161).

17. Chorum perpetuo adhiberi ubi ad novum actum transgrediendum est (exceptis tertio et postremo actu in *Prometheo vincto* vs. 284 sqq. et 946 sqq). Tum, praeeunte saepe chorego (*Pers.* vs. 524-539. *Suppl.* vs. 620-624; 797-802. *Sept. c. Theb.* vs. 803-812; 841-855. *Agam.* vs. 344-359. *Choëph.* vs. 708-722; 919-922. *Eumen.* vs. 135-137; 283-241), eum melica carmina instituere, quorum argumentum cum argumento fabulae arcte cohaeret. In his Chorum modo sollicitudinem suam edere de rebus jam agendis

(*Suppl.* vs. 757-804. *Sept. c. Theb.* vs. 702-773. *Agam.* vs. 353-1004. *Eumen.* vs. 454-493), modo vota pro fausto rerum exitu facere (*Suppl.* vs. 519-594. *Sept. c. Theb.* vs. 269-350. *Choëph.* vs. 772-824; 842-855. *Eumen.* vs. 309-360), modo res perpetratas, si laetae sunt, collaudare, si tristes, conqueri (*Pers.* vs. 540-589. *Suppl.* vs. 625-690. *Sept. c. Theb.* vs. 813-840; 856-937. *Prom.* vs. 397-433. *Agam.* vs. 460-476; 669-760. *Choëph.* vs. 923-966. *Eumen.* vs. 138-167; 834-930).

In his cantibus Chorum praeteritorum memoriam saepenumero revocare, et ea describere quibus vel caussam suam muniat (*Suppl.* vs. 519-594. *Eumen.* vs. 294-360), vel praesentem rerum statum reprehendat (*Pers.* vs. 838-872. *Prom.* vs. 524-559. *Choëph.* vs. 578-641), vel de futuro exitu probabiliter vaticinetur (*Sept. c. Theb.* vs. 702-773. *Agam.* vs. 104-254; 360-476; 669-760; 953-1004).

Saepius tamen eum in antiquorum temporum fatis considerandis commorari; quam animi sensa, ex rebus in superiore actu gestis percepta, concinne eloqui (*Prom.*). Itaque haec carmina (quorum pleraque *stasima* sunt) prolixiora nonnunquam esse, et poëtam ea saepius adhibuisse, quum propter compositionis simplicitatem episodiorum filum identidem interrumperetur.

Denique hos cantus, si argumenta universe spectes, inter nobilissima antiquae poësis monumenta

esse referendos: quippe qui, ut impietatis, libidinis, superbiaeque aversandae gravissima continent praecepta, ita deorum potentiam justitiamque ubique celebrant, et pietatis, sapientiae modestiaeque laudes suavibus modis extollunt.

18. Denique Chorum interdum solemni cantu finem imponere fabulae (*Suppl.*, *Sept. c. Theb.*, *Choëph.*).

THESES.

I.

Perperam Ilgen (*Opuscc. Var. Philol. I*, 65) de Choro Aeschyleo statuit, choricorum carminum argumenta cum actione fabulae non concinere.

II.

In Chorum Aeschyleum quadrat elegans partium choricarum descriptio, quam exhibet Horatius in *Epist. ad Pis.* vs. 193-201:

Actoris partes Chorus officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus
Quod non proposito conducat et haereat
apte etc.

III.

Choreutarum numerus in Orestiae tragoediis quindecim fuit.

IV.

Non recta sunt quae de Chori tragici numero tradit Pollux IV, 110: τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς

χορὸς πεντήκοντα ἦσαν, ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.

V.

Parum firmis argumentis nititur K. O. Muelleri opinio de quinquaginta choreutarum numero et quadripartita eorum in quatuor tetralogiae partes distributione.

VI.

Aestimatio partium Chori in *Choëphoris* magnopere pendet a judicio de protagonistae (Orestis) moribus. Quem qui ferocem et audacem sibi informant, ut Westrik in *Disput. de Aeschyli Choëph.* etc. p. 152, eidem suffragari possunt Choricas partes improbanti, p. 155 seqq. Potius vero Orestis mores leniores dicendi sunt.

VII.

Ratio cur vulgo, auctore Horatio in *Epist. ad Pis.* vs. 182 sqq., facta atrociora de scena tollenda judicant, in Aeschyli tragoedias haud convenit.

VIII.

Probabile est, Sophoclis aetate poëtis tragicis licuisse sive singulas, sive plures fabulas in tragicum agonem committere.

IX.

Τετραλογίας notionem nimis angustis finibus inclusit Welcker, *Aeschyl. Tril.* p. 508 sqq.

X.

In Aeschyli *Eumenidibus* vs. 116 vocabulum *ὄναρ* male interpretatus est Mueller, vertens *im Traum*; versus potius sic explicandus est:

ὄναρ γάρ [οὖσα] ὑμᾶς νῦν Κλυταιμνήστρα καλῶ,

ego Clytaemnestra, nunc inanis species, vos invoco.

XI.

In Sophoclis *Oedipo Rege* immerito Wunder vs. 7 et 800,

ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.

et

Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με.

delendos censuit.

XII.

Areopagus jure Aeschylo dictus est:

— βουλευτήριον
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορὸς φρούρημα γῆς.

XIII.

Auctoritate Platonis abutuntur, qui placita ejus in libris *de Republica* prolata afferunt, ad communionem bonorum in nostris civitatibus commendandam.

XIV.

Inique Niebuhr lectionem Horatianarum Satirarum ullam lectoribus afferre utilitatem negat, in *Niebuhrianis*, interpretationis Belgicae, p. 152 sqq.

XV.

Vitae Juvenalis, quae *Probi* nomine fertur apud Vallam, non tanta fides habenda est quantam ei tribuit Francke, in *Examine Critico D. J. Juvenalis Vitae.*

XVI.

Probabilis est Weberi sententia, putantis Juvenalem a Domitiano relegatum, sub Trajano Romae vixisse.

XVII.

Verba quae leguntur apud Sallustium *Belli Catilin.* Cap. XVIII, *quod intra legitimos dies profiteri nequiverit*, Sallustii esse non possunt et ab interprete, tempora non distinguente, adscripta videntur.

